Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiamystica0000laur

BIBLIOTHECA ASCETICA MYSTICA

SERIES OPERUM SELECTORUM

QUAE CONSILIO ATQUE AUCTORITATE
EMINENTISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

ANTONII CARDINALIS FISCHER
ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS

DENUO EDENDA CURAVIT

AUGUSTINUS LEHMKUHL S. J.

FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE,
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

JUAN de JESUS MARIA, padre, 1564-1615.

THEOLOGIA MYSTICA
ET
EPISTOLA CHRISTI AD HOMINEM

AUCTORE

IOANNE A IESU MARIA
CARMELITA DISCALCEATO

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PUGNA SPIRITUALIS

SECUNDUM VERSIONEM LATINAM
AB OLYMPIO MAROTTO FACTAM

AUCTORE

LAURENTIO AGUPOLI
ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM

ST. BENEDICTUS - MARIA BLANK O.P.
ST. BENEDICTUS COLLEGE LIBRARY



FRIBURGI BRISGOVIAE
B. HERDER
TYPOGRAPHUS EDITOR PONTIFICIUS
ARGENTORATI, BEROLINI, CAROLSRUHAE, MONACHII, VINDOBONAE,
LONDINI BRITANNIAE, S. LUDOVICI AMERICAE

Imprimi potest

Iulius Vanvolxem S. J.
Vice-Provincialis

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 5 Februarii 1912

✠ **Thomas,** Archiepp̃s

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae. 1912.

Opera R. P. Redempti a Cruce Ordinis Carmelitarum discalceatorum, cui hoc loco publicas persolvo gratias, licuit mihi habere aliquot opuscula ineuntis saeculi decimi septimi, quae nunc raro reperiuntur: auctorem habent P. Ioannem a Iesu Maria item Ordinis Carmelitarum discalceatorum, virum suo tempore tum scientia tum ascesi valde conspicuum, cum fama sanctitatis defunctum. Favore et auxilio Patris Redempti, quem dixi, duo opuscula prelo commissa sunt, quorum alterum *Theologia mystica, Epistola Christi ad hominem* alterum inscriptum est.

Adiunxi tertium opusculum, cui titulus *Pugna spiritualis* auctore P. Laurentio Scupoli Ordinis Clericorum Regularium, ex eo celeberrimum, quod S. Francisco Salesio in continuo usu erat eumque ad tantam sanctitatem, quam in eo miramur, evexit.

Valkenburgi, in die festo eiusdem Sancti Francisci Salesii 29 Ian. 1912.

Editor.

Ac: 3609

INDEX

OPUSCULUM I.

THEOLOGIA MYSTICA

P. IOANNIS A IESU MARIA Ord. Carm. disc.

Caput		Pag.
	Praefatio de vita auctoris	3
	Praefatio auctoris	9
	Canones pro theologiae mysticae intellectu	13
I.	De theologiae mysticae definitione seu descriptione	21
II.	Ad quem caritatis statum pertineat theologia mystica	28
III.	De divina contemplatione	33
IV.	De gustu divinae sapientiae sive de gustu contemplationis	43
V.	De tactu Spiritus Sancti, voluntatis summitatem vel — quod idem est — supremum affectus apicem tangentis	47
VI.	De multiplici raptu, qui tactum Spiritus Sancti praecurrit	54
VII.	De interpretatione libri S. Dionysii Areopagitae de mystica theologia	73
VIII.	De visionibus et revelationibus	78
IX.	De motibus anagogicis sive aspirationibus	84

OPUSCULUM II.

EPISTOLA CHRISTI AD HOMINEM

EODEM AUCTORE.

Prologus auctoris 93

PARS PRIMA.

DE PRIMARIIS MOTIVIS QUIBUS EXCITEMUR AD VITAM AETERNAM EXPETENDAM.

I. De sollicitudine, qua ad vitam aeternam tendere homo debeat 95

Caput Pag.
II. De vitae aeternae pretio et existimatione . . 98
III. De iis, quae fecerunt sancti, ut ad vitam aeternam pertingerent 101
IV. De bonorum terrenorum vanitate 104
V. De bonorum interiorum animae excellentia . 107
VI. Quanta eorum felicitas, qui orationis et communicationis cum Domino Deo studiosi sunt . . 109
VII. De bonae conscientiae quiete et gaudio . . 111
VIII. De Dei erga servos suos providentia et cura . 113
IX. De victoria, quam Dei servi de vitiis obtinent . 115
X. De Christi Domini benignitate et facilitate in ignoscendo, siquando servos suos labi contigerit . 118
XI. Quomodo servi Dei honorentur 120
XII. De vitae perfectione, ad quam servi Dei perveniunt 122
XIII. De interioris hominis ordinatione et compositione, quam in Dei servis gratia operatur . . 124
XIV. De iustorum in mortis articulo gaudio et hilaritate 127

PARS SECUNDA.

INSTRUCTIONES ET EXHORTATIONES AD EXERCITIUM VIRTUTUM QUIBUS REGNUM DEI OBTINETUR.

I. De humilitate 130
II. De mansuetudine 135
III. De oboedientia 138
IV. De castitate 141
V. De paupertate 143
VI. De patientia 146
VII. De poenitentia 149
VIII. De gratitudine 153
IX. De abstinentia et sobrietate 157
X. De modestia atque imprimis oculorum . . 160
XI. De silentio 163
XII. De resignatione 167
XIII. De oratione 170
XIV. De devotione 172
XV. De timore Dei 174
XVI. De observantia vel custodia praeceptorum . . 178
XVII. De clementia 181
XVIII. De virtute religionis vel latriae 183
XIX. De magnanimitate 186
XX. De diligentia 188
XXI. De fortitudine 192
XXII. De iustitia 194
XXIII. De prudentia 197

Caput Pag.
XXIV. De fide divina 200
XXV. De spe 210
XXVI. De amore erga Deum 215
XXVII. De caritate vel amore erga proximum . . 219
XXVIII. De perseverantia 222

OPUSCULUM III.

PUGNA SPIRITUALIS

auctore LAUR. SCUPOLI Ord. Cler. Reg.

Praefatio circa vitam auctoris 229
Dedicatio ab auctore facta 231
I. In quo sita sit christiana perfectio, ut eam assequamur pugnando, et ad hanc pugnam quattuor esse necessaria 233
II. De diffidentia sui 238
III. De fiducia in Deum 241
IV. Quomodo dignosci possit, utrum quis operetur ex diffidentia sui ac fiducia in Deum . . 243
V. Error plurimorum, pusillanimitatem pro virtute habentium 245
VI. Monita alia ad acquisitionem cum diffidentiae sui tum fiduciae in Deum conducibilia . . 245
VII. De exercitatione et primum de intellectus exercitatione, qui ab inscitia et curiositate custodiendus est 247
VIII. Quare corrupte res diiudicemus et quomodo eas recte dignoscere valeamus 249
IX. Vitium alterum ab intellectu arcendum, ut res probe discernat 250
X. De exercitatione voluntatis ac de fine, ad quem dirigendae actiones omnes, cum interiores tum exteriores 253
XI. Considerationes aliquot voluntatem adducentes ad beneplacitum Dei in omnibus exquirendum 258
XII. Plures voluntates in homine exsistere ac bellum ardere inter eas 259
XIII. Modus pugnandi in sensuales motus. Et quinam a voluntate eliciendi sint actus, ut virtutum habitus acquirat 262
XIV. Quid peragendum, cum superior voluntas ab inferiore hostibusque devicta et penitus subacta videtur 267
XV. Quaedam alia praecepta, quae pugnandi modum astruunt, et peculiariter in quem et qua virtute dimicandum 270

Caput		Pag.
XVI.	Qua ratione christianus miles summo mane in arenam descendere debeat	272
XVII.	Quis ordo servandus in vitiosis passionibus edomandis	274
XVIII.	Qua ratione obsistendum subitis passionum motibus	275
XIX.	Modus pugnandi contra vitium carnis . .	276
XX.	Modus pugnandi contra negligentiam . .	282
XXI.	Quomodo sensus regendi sint iisque utendum sit ad divinitatem contemplandam . . .	286
XXII.	Quomodo iisdem rebus utendum, ut sensus gubernemus transeamusque ad meditationem Verbi incarnati in ipsius vitae passionisque mysteriis	289
XXIII.	Quibus aliis modis pro occassionum diversitate sensus moderemur	291
XXIV.	Modus regendi linguam . . .	296
XXV.	Miles Christi, ut inimicos suos rite oppugnet, perturbationem et cordis inquietem omni ope effugere debet	299
XXVI.	Quid nobis agendum, cum vulnerati cadimus	302
XXVII.	Quem ordinem servet daemon, ut oppugnet fallatque tum eos, qui virtuti se addicere volunt, tum eos, qui iam peccato mancipati sunt	304
XXVIII.	Quo pugnae ac fallaciae genere utatur daemon adversus eos, quos peccati servitute compeditos habet	305
XXIX.	Quo artificio ac fraude implicatos eos teneat daemon, qui perditam vitam suam agnoscentes vellent sese in libertatem vindicare, et quare proposita nostra saepius effectu careant .	306
XXX.	Error illorum, qui se ad perfectionem progredi credunt	309
XXXI.	Fallacia ac pugna daemonis, ut virtutis semitam deseramus	310
XXXII.	Ultima daemonis aggressio ac fallacia ante proposita, qua efficere conitur, ut adeptae virtutes sint nobis ruinae occasio . . .	314
XXXIII.	Monita quaedam ad vitiosas passiones edomandas virtutesque novas assequendas . . .	321
XXXIV.	Virtutes paulatim ita a nobis acquirendae, ut per earum gradus exerceamur et prius uni, deinde aliis demus operam	324
XXXV.	Quibus mediis virtutes acquirantur et quomodo iis utendum, ut ad unam tantum incumbamus per aliquod temporis spatium . .	325
XXXVI.	In exercitatione virtutum contento studio progrediendum	328

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Caput		Pag.
XXXVII.	Cum in exercitatione virtutum numquam non pergendum, declinandae minime sunt occasiones, quae ad illas tenendas nobis obiciuntur	329
XXXVIII.	Peramandae quaecumque pugnandi occasiones pro virtutum acquisitione, eaeque carius, quae maiorem advehunt difficultatem . . .	331
XXXIX.	Ut diversis occasionibus uti possimus ad eiusdem virtutis exercitationem	333
XL.	Quantum temporis insumendum in exercitatione cuiusque virtutis, et quaenam sint nostri profectus indicia	335
XLI.	Haud permittendum, cupiditate nos efferri evadendi ex afflictionibus, quas patienter sustinemus, et quomodo cuncta nostra desideria regenda, ut virtuosa sint	337
XLII.	Modus resistendi daemoni, dum studet nos indiscretione decipere	338
XLIII.	Quantum valeat in nobis prava nostra proclivitas et daemonis instigatio, ut ad iudicandum temere de proximo inducamur, et de modo iis obsistendi	340
XLIV.	De oratione	343
XLV.	Quid sit oratio mentalis	347
XLVI.	De oratione per modum meditationis . .	349
XLVII.	Modus alter orandi per meditationem . .	351
XLVIII.	Modus orandi per intercessionem Virginis Mariae	351
XLIX.	Considerationes aliquot ad hoc maxime conducibiles, ut cum fide ac fiducia ad Mariam Virginem recurramus	353
L.	Modus orandi ac meditandi per intercessionem angelorum omniumque beatorum . . .	354
LI.	De meditatione passionis Christi, ut diversos ex ea affectus nobis conciliemus . . .	356
LII.	De fructibus e crucifixi meditatione colligendis ac de ipsius virtutum imitatione . . .	361
LIII.	De sanctissimo eucharistiae sacramento .	366
LIV.	Quomodo sanctissimum eucharistiae sacramentum sumendum sit	366
LV.	Quomodo praeparari debeamus ad communionem, ut Dei amorem in nobis excitemus .	370
LVI.	De communione spirituali	376
LVII.	De gratiarum actione	378
LVIII.	De oblatione sui	379
LIX.	De devotione sensibili ac de ariditate spirituali	382
LX.	De examine conscientiae	386
LXI.	Summa contentione perdurandum in hoc bello et ad mortem usque iugiter dimicandum .	387

Caput Pag.
LXII. Quomodo praeparari debeamus adversus hostes, qui nos incessent morte imminente . . . 389
LXIII. Quattuor oppugnationum genera, quae adversarii nostri in nos decernunt morti proximos, et primum de oppugnatione fidei, et quomodo ab ipsa nos defendamus 390
LXIV. De oppugnatione per desperationem eiusque remedio 391
LXV. De oppugnatione per inanem gloriam . . 392
XLVI. De oppugnatione per illusiones et fallaces apparitiones in mortis confinio 393

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

OPUSCULUM I

VENERABILIS PATRIS

IOANNIS A IESU MARIA

CARMELITAE DISCALCEATI

THEOLOGIA MYSTICA

DENUO EDITA

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Praefatio editoris.

Benignus lector desiderabit scire, quis ven. *Ioannes a Iesu Maria* fuerit, quidque in vita sua gesserit.

Natus est die 27 Ianuarii anni 1564 Calaguri, cuius nomen nunc Calahorra [1], in Hispania.

Pater eius erat *Didacus a S. Petro*, doctor artium et medicinae; mater *Anna* ex nobili genere *de Uztarroz*.

In saeculo Ioannes se literis addiscendis dedit et quidem primo «liberalibus disciplinis, deinde maioribus facultatibus philosophiae, iurisprudentiae et theologiae institutus Graecis quoque praeter Latinas et Hebraicas literis auctus» est [2].

Lectione infausti exitus Udonis, archiepiscopi Magdeburgensis, permotus se Ordini Fratrum Bea-

[1] Alii putant Ioannem in eadem urbe natum esse ac S. Dominicum, fundatorem Ordinis Praedicatorum. Sed hoc erroneum est. *Calaguris* omnino distingui debet a *Calaroga*, cuius nomen nunc Calaruega. Vide, quae ad hoc Dr Krebs in Vita nostri ven. Ioannis (p. 1) notat, quam anno 1881 conscripsit et tamquam programma *gymnasii realis*, quod dicunt, in urbe *Wiesbaden* imprimi fecit.

[2] Fr. Ildephonsus a S. Aloysio in praefatione ad *Ven. P. Fr. Ioannis a Iesu Maria stimulus compunctionis et soliloquia*, Florentiae 1771, XII.

tae Mariae Virginis de monte Carmelo discalceatorum addixit et anno 1583 in novitiatu Pastranensi votum solemne emisit. Ibi non minores quam antea in studiis fecit nunc progressus in virtutibus. Sacerdotio auctus eam ob causam diversa munera debuit subire, anno 1594 illud magistri novitiorum, anno 1605 definitoris generalis, anno 1608 procuratoris generalis, die 11 Aprilis 1611 generalis.

Expleto suo triennio mortem propinquam sentiens se in conventum S. Silvestri prope Tusculum (nunc Frascati) recepit, ubi die 28 Maii anni 1615 piissime obiit.

Cuius auctoritatis fuerit, ex eo concludere potes, quod celeberrimus cardinalis Bellarminus «amabat eum impensius, frequentius invisebat» et «de rebus spiritualibus» consulebat. «Vice quadam in lectulo etiam ob infirmitatem decumbentis arreptam manum tenerrimo devotionis sensu, dum recedere vellet, exosculatus est et Patri moleste ferenti reliquisque stupentibus ob honorem insolitum non lepide minus quam sincere respondit, sese P. Fr. Ioannem velut alterum Chrysostomum non immerito voluisse venerari.» [1]

Quid post mortem ven. P. Ioannis acciderit, narret nobis P. Theophilus Raynaudus S. I., qui sese testem ocularem esse confitetur. «Eius (ven. P. Ioannis) corpus», inquit, «hodieque post octo annos» – et idem nostris temporibus constat —

[1] Historia generalis Fratrum discalceatorum Carmelitarum a R. P. Petro a S. Andrea II, Romae 1671, 324.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

«integrum planeque incorruptum visitur ipseque nuper cum eo concessissem, usurpavi oculis, quod refero, et manibus attrectavi non absque sensu singulari pietatis ex tanto divinae gratiae ac potentiae specimine, quod micat luculenter in ungue unius pedis. Eum unguem nobilis Veliteranus, cum optimi Patris corpus videre concessum esset, vulsit sibi et linteo involutum domum transportavit ac domi explicato linteo abesse unguem deprehendit. Reversus postea ad coenobium S. Silvestri, quem vulserat unguem, pedi denuo consertum stupens vidit contestatus hoc esse *ex ungue leonem cognoscere.*» [1]

Opera, quae ven. P. Ioannes a Iesu Maria edidit et quae S. Franciscus Salesius permagni habuit [2], plurima sunt et de diversis materiis agunt. Quattuor tomis in folio continentur et hoc ordine disponuntur [3].

Tomo primo: Paraphrasis in librum Iob. — Cantici Canticorum interpretatio. — Lamentationum Ieremiae interpretatio — et psalmi 136, 83 et 41. — De prudentia iustorum liber.

---

[1] Tract. de inscriptione cadaverum, qui exstat, tomo XIII operum editorum, Lugduni cit. in *Eusebii ab omnibus Sanctis* **Enchiridion chronologico** *Carmelitarum discalceatorum,* Romae 1737, 58. NB. Hic et in omnibus locis, ubi de mirandis sermo est, de quibus S. Ecclesia non iam iudicavit, non nisi fidem humanam postulamus, quod mandato Urbani VIII obtemperantes hic expresse declaramus.

[2] Vide Kirchenlexikon VI², Friburgi, p. 1697.

[3] Confer *Ildephonsi* **Stimulum compunctionis** XVI et XVII.

Tomo secundo: Via vitae. — Praxis ad bene moriendum. — Schola Iesu Christi. — De bono usu contemptuque bonorum, divitiarum etc. — Ars spiritualiter vivendi. — Stimulus compunctionis prior et alter. — Soliloquia. — *Epistola Christi ad hominem.* — Ars amandi Deum prior et altera. — De amoris delectu. De studio pacis. — *Theologia mystica.* — Epistolae anagogicae. — De oratione tractatus. Physiologia interioris hominis. — Ars bene moriendi. — Expositio symboli et professio fidei. — De amore cultuque reginae caeli. — Praeparatio ad natalem Domini. — Soliloquia alia. — De sacramentis et sacris ordinibus brevissima tractatio. — Thronus iustitiae.

Tomo tertio: Disciplina monastica. — De regimine monastico. — De custodia legum. — Exercitium ad obtinendam perfectionem regularem. — Disciplina claustralis. — Schola orationis et contemplationis. — Instructio novitiorum. — Instructio magistri. — Instructiones aliae. Assertio, instructio, historia et vota pro missionibus varia. — Epistolae ad suos multiplices. — Compendium vitae S. M. Teresiae. — Vita ven. P. Petri a Matre Dei.

Tomo quarto: Instructio principum. — De virorum ecclesiasticorum perfectione. — De bono usu curiae. — De pia educatione pueritiae. — Ars contionandi et rhetorica. — Orationes tredecim pro natali die S. M. Teresiae. — Aliae duae pro initio theologiae. — Hymni et poemata sacra. — Silva et epitome sive miscellanea contionum. — Consulta varia.

Hic habes *Theologiam mysticam* prae manibus, cui adiungetur *Epistola Christi ad hominem.* Offerimus tibi hoc opusculum eo libentius, quo brevius et clarius de re tam excelsa agat et quo plus ad profectum spiritualem conferat.

Tolle ideo et lege!

Experientia veritatem confirmabit.

Schwandorfii in Bavaria,
die 15 Octobris anni 1911.

Fr. Redemptus a Cruce,
Carm. disc.

Praefatio auctoris.

Acceptissimum Deo theologiae mysticae studium, quod modico labore suscipitur, tam eximia honesti laude clarum et tam caelesti voluptate refertum est — cum sedulos cultores suos divina ingenuitate donet et caelestium deliciarum purissimo amne profundat —, ut mirum sit, quomodo non universi homines, quibus natura sitim honoris ac voluptatis iniecit, curis ceteris ablegatis in hoc unum certatim incumbant. Et profecto! Tametsi ii, quos amor saeculi huius excaecavit, nonnihil excusationis praetexere posse videantur, illi tamen, qui vel se in claustra recepere vel in hierarchiam ecclesiasticam adscripti sunt, sanctius vitae genus inituri, cum ad honorem et voluptatem hanc singulari praerogativa vocati fuerint, nescio, an idoneam possint excusationem obtendere. Quod enim obiciunt rem excelsam esse nec ab omnibus reposcendam, mirifice ipsos revincit. Si enim excelsa res est, quid, obsecro, gloriosius quam illam adniti?

Si non ab omnibus reposcenda, an a viris singulari foedere Deo sociatis, quos oporteret divinarum affectionum esse consultissimos, non exposcetur? Qua enim ratione hierarchicis actibus alios purgabunt, illuminabunt, perficient, si caelestis

luminis convincantur exsortes? At obstant pericula et imposturae daemonis! Sed numquid ab Indica navigatione vel Oceani pericula vel piratarum insultus mercatores averterunt? Mirum est sane, quam alte multorum, in speciem prudentium animis haec formido periculorum insedit, quae laxitatem vitae persuasit, quasi sapientium consiliis et animi demissione pericula haec praecavere nequirent: quemadmodum in rebus gestis multorum, qui hac aetate claruerunt, licet animadvertere. Quod vero praetexunt se studiis aliis laborem impendere, non sine dedecore dici videtur. Quid enim proderit tam pertinax quaestionum philosophicarum vel etiam theologicarum inquisitio, si ad unam veram, pacatam, solidam et divinam sapientiam iis anxietatibus via praecludatur? Praecluditur quippe non rerum ingenio, sed multorum abusu; saepe enim, quanto intellectus ad spectacula divina in scholis magis acuitur, tanto certe longius voluntas a Deo dimovetur, nisi quis theologiae mysticae crebro meminerit. Quae scholastico etiam more perpensa, non translate aut minus proprie, sed propriissime sapientia est, utpote Divinitatis nobilissima luculentissimaque cognitio. Quam certe sapientiam nostram ex sancto Dionysio Areopagita, sancto Thoma Aquinate, sancto Bonaventura, Vercellensi, Linconiensi, Gersone, Dionysio Carthusiano aliisque divino lumine illustratis doctoribus excerpsimus: tametsi auctores parce producamus praeter unam purissimam virginem matremque nostram Teresiam a Iesu, caelestibus sapientiae ac intellectus donis opulentissimam.

Adeo enim diserte res internas distinxit et tam perspicaci intuitu dignovit et tradidit, ut silenda non fuerit, quam Deus in hoc genere, tempestate hac ad nos erudiendos divinitus instruxisse videtur. Sicut enim eius plane mira incorruptio et perennis olei distillatio integerrimae virginitatis, ita subtiles in rebus internis distinctiones et difficillimarum rerum explanationes mentis illustrissimae indices sunt. .

Iam vero, licet nobis posset vitio verti tam excelsae tractationis aggressus, notam eam aequanimiter ferre malumus quam rerum tantarum dignitatem reticere, ut scripto testemur nos his rebus fidem habere nec probare quorundam non insigniter sapientium supercilium, qui divinam φιλανθρωπίαν velut laesi capitis figmenta repellunt. Satius fuerit naturae divinae propensionem commendare quam controvertere. Profecto quidam minime christianus, fortasse ut deos fictitios, quibus cultum offerebat, in hominum genus pronos effingeret, ab aquis nostris illorum ducit originem: Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν, ac si ob id teneriores nobisque coniunctiores esse deberent. Quanto ergo aequius sit Deum in stirpis nostrae virgine corpore tam indulgentissime cum genere nostro amoris foedera celebrare.

Opinentur sane, quidquid volent alii, quorum asserta satis mirari non possumus, quibus nihilo secius miseremur velut felicitatis exsortibus. Si qua enim felicitatis pars in hoc exsilio praelibatur, haec profecto est, quae ex purissima quadam Dei notitia gustuque conflatur vel clarae in patria vi-

sionis ac perfectae fruitionis imaginem gerat. At non illa potientur, quia nec operam ponent, qui fidem illi habere detractant.

Quod vero attinet ad nonnulla theologorum mysticorum effata et nomina, quae scholasticis minus expensa videntur, omnia illa ita temperavimus et tradidimus, ut nemo inde ansam studii huius improbandi possit arripere. Hortamur autem eos, qui hoc opus evolvent, ut defaecato corde atque demisso ingrediantur in adyta, si arcanae Dei sapientiae velint esse consortes.

Canones

pro theologiae mysticae intellectu.

1. Omnino compertum est Deum erga puriores animas, a quibus religiosius colitur, se familiarius ac indulgentius interdum gerere quam erga ceteras minus sedulas et provectas, quemadmodum Scripturae Sacrae ac sanctorum Patrum effata convincunt.

2. Non est sapientis res admodum sublimes et arcanas, quod sibi notae non sint vel argumentis efficacibus persuaderi non possint, quasi leves aut inanes aspernari vel iis fidem abrogare; multa enim sancti Patres tradidere, quae non tam disputationum acritatem quam sensus maturitatem exposcunt.

3. Prudentium est rebus abstrusis, quantumvis excelsis, non temere fidem commodare, verum consilio adhibito iudicioque interea suspenso veritatem inquirere et affectionum divinarum — si quas internoscant — honorem tueri, ne illarum studium ob adversam insignium virorum auctoritatem intereat.

4. Theologis mysticis ad profectum nostrum mira multa, nobis inexplorata, ipsis vero experimento comperta evulgantibus credere rationi consentaneum est. Communis enim est universorum hominum sensus viris spectatae virtutis, tametsi nova dicentibus, credi oportere, nec aliter vel

scientiae addisci vel respublicae umquam administrari potuissent.

5. Mysticos theologos appellamus eos, qui divina passi sunt ac Deum arcane gustarunt. Cuius sane lectissimi agminis pars magna albo sanctorum inscripta, pars item non exigua, licet inter divos minime relata, inculpatae tamen vitae laude clarissima in Ecclesiae caelo resplenduit.

6. Multa sparsim de hac theologia Patres antiqui scriptis suis permiscuere. At — quod sciamus — nullus ad doctrinae methodum captui nostro satis attemperatam illam ex professo digessit, cuius certe officii praetermissi causam non anxie perscrutamur. At ex eorum assertis, quae carptim excerpsimus, opus hoc Deo propitio concinnavimus.

7. Triplex theologia celebratur: prima, quae de fidei assertionibus agit, quam multis laboribus ad methodum redactam sacro textu, Conciliis Patribusque subnixam, rationibus et argumentis ad veritates fidei confirmandas et errores adversos refellendos armatam, *scholasticam* nuncupamus.

8. Secunda, quae *positiva*, quasi expositiva dictitatur, quae Patrum institutionibus, linguarum peritia, exacta locorum expensione aliisque id genus laboribus sincerum Scripturae Sacrae sensum exquirit: sive dicatur *propria*, cum accepta sub nominibus propriis oracula divina interpretatur, sive *symbolica*, cum a creaturis in Deum translatas appellationes metaphorasve persequitur.

9. Tertia, quae nec disceptat ut scholastica neque per nomina seu proprie seu translate accepta sensa divina concipit ut positiva, sed, per universarum rationum ac nominum oblationem intellectu creaturarum omnium imagines supergresso ac stu-

pente voluntateque altius erecta, Deum gustat et amplectitur, quae *mystica* theologia est, quam ope divina freti molimur.

10. Theologiae huius magisterium Christi solius est, qui Paulum erudivit, a quo, velut Christi organo, Dionysius Areopagita primum edoctus rei tractatum secretissimo scripto consignavit et ad Timotheum transmisit, ut, qui sapientes fieri vellent, multa cordis demissione ac vitae puritate sub seniorum disciplina scripti caelestis sensum inquirerent [1].

11. Divinarum affectionum altitudo verbis exprimi nequit. Quapropter nomina oportuit excogitare ac novis usibus accomodare, quo vel tenui quadam adumbratione rerum divinarum magnitudo proderetur, ut in operibus Dionysii ac eius interpretibus licet passim animadvertere. At ab eiusmodi nominibus abstinuimus, paucis ac necessariis dumtaxat exceptis.

12. Assertiones multas scriptoribus reliquis minime usitatas et in speciem Platonicas, mysticis theologis familiares pie decet interpretari. Nam et Platonis doctrinam — quod ad Deum spectat, de quo agimus — et veram et orthodoxae fidei consonam S. Thomas pro Dionysii explanatione praefatur.

13. Animam mori, propriam formam amittere, spiritum viribus actioneve destitui, a Deo — sine proprio scilicet concursu — agi et id genus alia amantibus frequentissima, si naturam rerum spectemus, falsa, si affectum, vera dicemus. Philosophus enim non accusatur mendacii, quod animam po-

[1] De genuinitate operum, quae sub nomine Dionysii Areopagitae circumferuntur, tum temporis non dubitabatur. N. Ed.

tius, ubi amat quam ubi animat, esse protulerit, nec Paulus, quod se viventem non vivere, quasi eius vitam Christi praesens vita perimeret, affirmarit.

14. Multa theologi mystici simplicius minusque expresse ac distincte tradunt, quae lectori parum oculato imponere possent. Non enim in verborum proprietate vel accurata rerum digestione multum operae posuerunt, quod in altiora ferrentur.

15. Saepe contemplationem appellant, quae proprie meditatio est, petito — ut conicimus - - nomine a termino meditationis, quae propria solet contemplatione concludi.

16. Actum voluntatis proprium nonnumquam cum intellectus actu commutant, puta cum Dei sensui, gustui vel experimento quae omnia voluntati congruunt - - nomen visionis, notitiae vel cognitionis ascribunt, more videlicet in externis sensibus vulgatissimo. Nam quae quovis sensu percepimus, nos vidisse asseveramus. Tametsi leniri soleat impropria haec appellatio, dum illa Dei perceptio non absolute notitia, sed notitia experimentalis nuncupatur.

17. Notitia haec mystica sive gustus sive tactus Dei arcanus una cum propria contemplatione accidere potest ita, ut simul intellectus et voluntas divinitus afficiantur.

18. Sine quovis intellectus actu comite vel praevio, theologiam mysticam, prout presse arcana illa Dei perceptio est, posse contingere multorum auctorum assertio est, quam suo loco perpendemus.

19. Tria sunt in hac theologia difficilia: 1) An contingat Deum ab homine amplius amari quam intelligi? -- 2) An sine ullo intellectus actu vo-

luntas Deum percipere valeat? — 3) An contingat intellectum et voluntatem sine actibus elicitis pati divina?

Primum cum S. Thoma[1] profitemur, reliqua duo minime probamus.

20. Tametsi ex multorum auctorum consensione illa Dei suavissima delibatio sit proprie mystica theologia, quae unico nomine Dei experimentum appellari ac definiri posset, quia tamen iidem auctores profitentur illo Dei gustu vel sapore, quem voluntas delibat, illustrissimam Dei notitiam in intellectu permanere — praeterquam quod Dei sapor et contemplatio vix umquam dirimuntur — ad mentem scriptorum aliorum opinati sumus ex habitu sapientiae — unius nempe e septem Spiritus Sancti donis — et eius actu, qui est contemplatio, ac denique ex illa nobilissima Dei perceptione seu delibatione unam mysticam componi theologiam, quae principem hominis partem, intellectum sc. ac voluntatem miro modo perficiat. Quod in operis excursu luculentius ostendemus.

21. Raptuum divinorum descriptiones aliquot exempli causa operi intexuimus, ut methodum doctrinae observaremus; non vero quasi vel ordinem vel numerum eundem praescribere vellemus. Certis enim finibus dona Dei, quae tam varie indulgentur, circumscribere nefas est. Conferunt autem raptus illi captu faciliores ad mysticae theologiae sublimitatem indagandam.

22. Definitiones rerum divinarum ad regulas dialecticorum non exegimus; satis quippe fuerit ineffabilem celsitudinem vel rudi quadam adumbratione pro captu nostro describere.

---

[1] 1, 2, q. 27, a. 2 ad 2.

23. Dei experimentis varia et sane mira nomina sancti Patres indidere. Cuiusmodi sunt: *Contemplatio; ecstasis, raptus, liquefactio, unio, penetratio, transformatio, exsultatio, iubilus: Dei tactus, gustus, amplexus, osculum, ingressus in divinam caliginem, introductio in Dei cellaria, ebrietas, mentis excessus* aliaque similia, e quibus multa uni Dei mystico sensui vel coniunctioni pro multiplici rei intellectu congruere possunt, ut ex operis processu et subiecto nunc patebit exemplo.

24. Profecto suprema illa Dei perceptio proprie mystica, qua Deus seipsum velut tangendum obicit voluntati, contemplationis omnis in raptu esse solet, quae *Dei gustus* ob perceptam voluntatem, *unio* ob coniunctionem, *amplexus* ob nexum amoris mutuum, *osculum* ob appressionem, *penetratio* ob Dei illapsum, *ingressus in divinam caliginem* ob Dei non visi sensum vel experimentum, *introductio in divina cellaria* ob amoris aestum appellari solet, licet peculiaris aliquis Dei sensus vel certe modus, qui se magis prodit per allatorum nominum singula, discrete ab aliis solet indicari.

25. Oracula Scripturae Sacrae minime pauca sensum divinum, quo scriptor canonicus affectus fuit, alte recondunt, cum sit plerumque sensus loci litteralis, ut in psalmographo, cum de affectibus agit, passim adnotare licebit. Ad cuius mentem ex parte saltem exsequendam vel sola theologiae mysticae speculatio plurimum confert.

26. Quamquam ii, qui Dei suavitatem neutiquam praelibarunt, divinarum affectionum cognitionem exactam nequeant adipisci, illarum tamen lectione ac expensione acriter urgentur et ad studium sapientiae ac sanctorum aemulationem ferventius inflammantur.

27. Vel modica rerum divinarum speculatio ob ipsam rerum magnitudinem ac maiestatem tanto delectabilior quam absoluta rerum naturalium scientia est, quanto aurum est terra nobilius. Nam et philosophorum clarissimi pauca et minus perspecta de caelo ac sideribus quam multa certaque de inferioris mundi secretis intelligere iucundius censuerunt.

28. Nemini via praecluditur, quominus peculiaris cum Deo consuetudinis foedus possit inire, nedum caelestia nosse. At ecclesiasticorum et praelatorum praesertim est ad sapientiam hanc facile ingenuam et speculatione et praxi perdiscendam animosius aspirare, ut subditis queant praelucere.

29. Divina et intelligere et experiri cupienti nullum brevius vitae puritate animique demissione compendium est. Mens humi defixa, mundi gloriam, voluptatem, opulentiam exquirens, non valet caelestia contemplari.

30. Theologiae mysticae summa laus Dei amor est, qui lumine divino ac immortalis illius pulchritudinis gustu — velut ignis oleo — pascitur et augetur, quo nihil possit excogitari felicius.

Caput I.

De theologiae mysticae definitione seu descriptione.

Priusquam definitio tradatur, ut eius sensum penitius capiamus, mysticam a scholastica theologia discriminare operae pretium est. Hoc autem uno potissimum dirimi videtur, quod scholastica a caliginosis fidei orthodoxae principiis sua deducit asserta, ubi, quod quaerit verum, non sine labore pervestigat; mystica vero Dei sensu gustuve imbuit voluntatem et illustriore quodam lumine perfundit intellectum, qui proinde sit perspicacior et ad divina contemplanda serenior; sine dialecticis enim ambagibus et sine rationis satagentis excursibus, puris quibusdam et tranquillis obtutibus minus clare quam in caelesti patria, nobilius tamen quam per consuetum simplicemque fidei solius oculum, h. e. quam per solam fidei notitiam experimenti seu gustus exsortem, divinae Sapientiae arcana dignoscit. Constitutum est quippe apud ipsos etiam theologos scholasticos hominis adhuc mortalis intellectum divino afflatu ad tam excelsum posse gradum attolli, ut sine ullo discursu, angelorum more, res divinas purissima cognitione percipiat. Quod e S. Thomae doctrina 2, 2, q. 180, art. 6 in sol. ad 2 liquido constat per verba haec: «Secundo autem oportet, quod removeatur secunda difformitas, quae est per discursum rationis; et hoc

idem contingit, secundum quod omnes operationes animae reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis. Et hoc est quod secundo dicit Dionysius (c. 4 de divin. nom. part. 1, lect. 7), quod ‚necessaria est uniformis convolutio intellectualium virtutum ipsius'; ut sc. cessante discursu figatur eius intuitus in contemplatione unius simplicis veritatis.» Haec S. Thomas, ubi dubium de tanti doctoris mente nequit oriri. Subicit autem proxime ex Dionysio animam in ea purissima contemplationis operatione angelis esse conformem. Et quidem felicissima sors haec iis praesertim contingit, qui multa sedulitate cor subinde expurgant, illius hereditatis cupidi, quam unigenitus Dei Filius eis novo iure in filios adoptatis Novo Testamento reliquit, sicut scriptum est: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*[1]. Etsi enim haec fecundissima pollicitatio in caelesti gloria explenda sit, eius nihilo secius suavissima quaedam praelibatio ex divinae gratiae praerogativa defaecatis cordibus permittitur in exsilio, quam faustissime adepti sunt, qui — licet pauci, clarissimi tamen — theologi mystici nuncupantur.

Est autem mystica theologia[2] *caelestis quaedam Dei notitia per unionem voluntatis Deo adhaerentis elicita* vel lumine caelitus immisso pro-

[1] Mt 5, 8.

[2] Multas theologi mystici definitiones tradunt, quas Gerson (De mystica theol.) colligit, sed nos sensum earum complexi sumus. S. Bonaventura (De luminaribus Ecclesiae serm. 2) mysticam theologiam sapientiae consummationem censuit et totum nostrae definitionis sensum ibidem diserte subiecit. Patrem hunc posteriores scriptores secuti sunt. Inter quos Dionysius Carthusianus (De fonte lucis c. 13) theologiam mysticam reipsa esse ipsum sapientiae donum asseruit. Idem supra Dionysius de mystica theologia affirmavit.

ducta. Quod ut penitus intelligatur, nosse oportet huic theologiae ab universis auctoribus, qui de ea scripserunt, sapientiae nomenclaturam sine ulla exceptione tribui. Cum enim sapientia sit rerum notitia per altissimas causas et mystica theologia hoc in exsilio sit suprema et per summam rerum effectricem causam humano cordi arcano nexu coniunctam partita cognitio, conficitur plane ingenium sapientiae illi consentire. Nomen vero quantopere quadret, ex ipso ethymo liquet; dicitur enim sapientia: quasi sapida scientia. Quo certe in genere scientiis universis, vel omnino [naturaliter] partis vel infusa fide tamquam basi subnixis, maxime antecellit. Etsi enim clarissimi aliquot naturae inspectores in ipsa rerum naturalium contemplatione nonnihil voluptatis percipere soleant, unde scientiae ipsi, labore conquisitae, sapor quidam adnascitur; is tamen tam exilis est, ut non intrinsecus enasci, sed extrinsecus affigi videatur, si cum penitissima et castissima huius sapientiae voluptate comparetur. Cuius ratio hinc erui potest: Constat inter theologos universos unum e septem Spiritus Sancti donis — ac id longe nobilissimum — esse sapientiam, quam esse ipsam mysticam theologiam opinamur[1]; quae, licet in intellectu, quem acuit ad divina, reponatur, non tamen ita in eo definitur, ut proximam non urgeat et amore divino incendat voluntatem. Quin potius adeo eam impellit et ciet, ut quendam ei velut perennem impulsum imprimat, quo illa, quasi ferrum magnete tactum inquies, ad Deum fertur, nullibi, praeterquam in Deo, adeptura quietem. Compertum est autem in iis actibus

[1] Quod sic intellege, quod donum sapientiae etiam ad actus mysticos impellat, non quod impellat ad hos solos (Nota Ed.).

promendis, quos amor generat, inesse voluptatem. Quamobrem theologiam nostram, cuius opus alta cognitio, amor ac sapor Dei est, purissimis deliciis oportet affluere. Iam vero, cum sapientiae habitus, qui cum divina gratia simul infusus intellectum illustrat ac voluntatem incendit, sit ipsa mystica theologia, inter actus mysticos plane theologicos et divinos merito recensentur ii, qui ab eadem sapientia, flante Spiritu Sancto, eliciuntur; quemadmodum ex habitibus aliarum scientiarum actus proprii nascuntur, quibus et augentur. Huiusmodi est *divina contemplatio*, quae more candidissimi splendoris ex habitu sapientiae velut e caelesti lumine interdum exoritur, quae in secundo definitionis allatae membro nuncupatur: *notitia, lumine caelitus immisso producta*, — sive Dei gustum praecurrat sive comitetur sive subsequatur — , de qua postmodum agemus. At enim summopere expendendum est contemplationis actum, — qui superno lumine infuso producitur, dum sapientiae habitus se exserit in actum — non esse totum sapientiae sive theologiae mysticae opus, sed partem operis esse perceptionem saporis gustusve Dei, qui non ab ullo habitu producitur, sed peculiari dignatione gratis a Deo indulgetur et per unionem voluntatis cum Deo conciliatae nexaeque percipitur. Ac propterea in tradenda huius theologiae definitione bimembri, ut suaviorem ac secretiorem eius partem dignosceremus, in membro primo assertum est non esse qualemcumque Dei cognitionem, sed eam diserte, quae per unionem voluntatis Deo adhaerentis elicitur. Quae sane verba sapientiam hanc a ceteris universis huius exsilii scientiis facile discernunt et retegunt arcanum illud, ex quo insignis eius honestas et suavitas debet expendi, qui

est arcanus ille Dei cum voluntate complexus. Qui, licet proprie notitia non sit, quia tamen inest in eo quaedam sublimis Dei conceptio, qua voluntas velut quoddam gustandi organum Dei saporem haurit haustuque illo intellectum ad clariorem Dei notitiam perurget, huius theologiae pars nuncupatur. Profecto, cum theologi mystici aiunt diviniorem illam Dei notitiam per unionem voluntatis Deo haerentis elici, facile demonstrant voluntatem amoris nexu Deo adiunctam esse velut quendam aquaeductum, per quem eiusmodi cognitio in ipsum intellectum derivetur. Quocirca nomen illud — *notitia* —, in definitione positum, duo apposite significat: illam sc. perceptionem rei, quae, cum voluntatis sit, minus proprie notitiae nomine insignitur, et contemplationem ex voluntatis divina patientis sensu genitam, quae proprie actus intellectus est, nobilissimus ille sane, licet illam Dei perceptionem sublimitate non aequet.

Quod ita plane censendum est, sicut enim suo loco trademus, in hac vera sapientia plus haerendo quam speculando percipitur ac proinde voluntas, dum adhaeret Deo, altius divina percipit quam intellectus contempletur ipseque intellectus voluntatis inhaerentis sensu edoctus fit ad theophanias seu divinas apparitiones concipiendas multo quam ante capacior. Hoc autem assertum ex ipso celeberrimo theologorum scholasticorum effato deducitur. Concors enim sententia est caritatem divinam hoc potissimum ceteris virtutibus, etiam theologicis antecellere, quod ipsum Deum per se, ut aiunt, attingat, cum ceterae per interiectas in eum res perferantur. Adhuc enim ipsa fides ac spes in Deum tendunt, qua ratione nobis ab eo boni quippiam emanat. Verum divina caritas in-

genuo corde, non quasi aliquid a Deo receptura, sed ipsi ob eius bonitatem et pulchritudinem adhaesura illum iugiter affectat, in eo cupit conquiescere. Ex quo certe tam eximiae virtutis ingenio liquido perspicitur, quam ob causam caritas numquam excidat, cum fidem ac spem ante Divinitatis aspectum oporteat interire. Nulla enim imperfectionis nota haeret caritati, ob quam statum caelestis patriae dedeceat. Quin etiam illius patriae tam propria est, ut animae, adhuc extorri, caelestibus similem affectum impertiat, ut sui ipsius oblita divinum solummodo bonum affectet. Fidei autem ac spei mos non est adeo clarus et ingenuus; nam fides per nubila vel aenigmata Deum cognoscit, unde orta mox luce patriae dispellitur: spes intuetur hereditatem, quam statim, ac animus obtinet, illam oportet exstingui. Verum divina caritas hereditate fruitur sempiterna, quam in exsilio agens purissimo quaesivit affectu.

Haec ergo caritatis nativa nobilitas in causa est, ut voluntas, in qua viget, altius caput efferat quam intellectus, in quo fides, quasi lux quidem, sed in caliginoso loco elucescit. Nec vero donum sapientiae, quod afficit intellectum, adeo illum evehit, ut in parem caritati excelsitatem attollat ob fidei obscuritatem, divinis rebus obductam, huius exsilii statui seu vitae consentaneam.

Quapropter necesse est, ut voluntas altiorem ac Deo propinquiorem quam intellectus in staturam assurgat, ab ipso, quo informatur, excelsiore caritatis habitu erecta. Ex quo fit, ut amoris motibus anagogicis voluntas, intellectu excelsior effecta, arcano et eo plane divino more, Deo fovente, in quadam prorsus mira celsitudine collocetur, ad quam intellectus se nequit attollere. Ubi non visu, sed mystico

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tactu et peculiari quodam Dei auxilio Deum attingit et intellectum inferius residentem illustrat. Et haec est illa felix unio voluntatis Deo sociatae, quae theologiam mysticam ab omni alia seu scientia seu sapientia satis aperte discernit ac eius nobilitatem ostentat.

Si ergo in unum cogamus, quae pro definitione explananda deprompsimus, cum dicimus theologiam mysticam esse caelestem quandam notitiam, per unionem voluntatis Deo adhaerentis elicitam vel lumine caelitus immisso productam, idem est, ac si expressius diceremus esse sublimem Dei sensum vel experimentalem notitiam per quendam Dei tactum, seu voluntatis supra intellectum Deo haerentis unionem elicitam — quod est primum definitionis membrum — vel superno lumine infuso per sapientiae habitum ab intellectu productam — quod est secundum —, quae in operis processu luculenter exprimentur.

Denique — pro huius capitis coronide ac rerum perspicuitate — tria, ut ex dictis patere potest, theologiam hanc totam componunt: habitus sapientiae, contemplatio Deique per voluntatem perceptio. Quae sane tria S. Bonaventura (lib. de septem donis Spiritus Sancti), dum ageret de dono sapientiae, sic expressit: «Actus sapientiae est contemplari Deum, non quocumque modo, sed ex dilectione cum quadam experimentali suavitate in affectu.»[1] Quibus certe vobis rem totam diserte tradidit, quam posteriores theologi mystici uno sane sensu, at non uno dicendi modo prosecuti sunt, inter quos Dionysius Carthusianus in tractatu de fonte lucis (c. 13) perspicue rem complexus mysticam theo-

[1] Itin. 3 S. Bon. de septem itineribus aeternitatis, dist. 2.

logiam ipsum sapientiae donum, unum sc. e septem Spiritus Sancti donis habitumque infusum per gustum internum Dei cognoscitivum appellat. Cuius actum, nempe contemplationem experimentalemque cognitionem, paulo ante protulerat. Idem supra Dionysius (De mystica theologia) docet mysticam theologiam esse praestantissimum donum Spiritus Sancti, quod sapientia nuncupatur. Et eam inter alia nomina contemplationem appellari ait eiusque complementum in voluntate reponit. Nec obstandum, quasi theologiae, h. e. Dei scientiae pars esse nequeat illa Dei perceptio, quae voluntatis est, cum scire solius sit intellectus, quia, sicut omnis *sensuum* actus *visio* ex more appellatur, ita omnis *Dei perceptio* — per quamcumque animae vim — in arcano sermone *scientia* nuncupatur. Et in re adeo sublimi non tam verba quam sensa pensitamus.

Caput II.

Ad quem caritatis statum pertineat theologia mystica.

Neminem latet christianam perfectionem in divina caritate positam esse, quae ceteras virtutes universas, alias minime ad aeternam vitam profuturas, Deo conciliat.

Quia tamen stella differt a stella in claritate et non quaevis claritas in eo genere perfecta est, sancti Patres in caritate ipsa tres seu gradus seu status distinxere et viros perfectos in tertio dumtaxat reposuere.

Primo in statu *incipientes* quasi tironum agmen, in secundo *proficientes* quasi tirocinium praeter-

gressi, in tertio *perfecti* quasi veterani milites recensentur. Et, licet tria haec agmina, quibus constat terribilis Ecclesiae acies, per eandem militarem caritatis viam ingrediantur, sua tamen peculiaria propriarum actionum studia illarum quamque a reliquis aperte seiungunt.

Incipientium enim caritas in eo potissimum versatur, ut a peccato recedat et passionibus, quae illi obluctantur, valide repugnet. Ac propterea pervigili studio nutrienda et confovenda est, ne tot incursibus tentata succumbat.

Proficientium studium in hoc praesertim adnititur, ut caritas, quae iam minus acriter impugnatur, propter victorias partas felicius coalescat et virtutes universas sibi conexas constabiliat: principis nimirum strenui more, qui fusis ab obsidione hostium copiis ad futuros impetus arcendos et ad urbem contutandam moenibus exstruendis et aulis aedificandis instauratae pacis tempore nervos intendit. Etsi enim hostis numquam ab impugnatione desistat, enervatus tamen superioribus proeliis facile fugatur et augmento virtutum cordis castrum, bene septum et tutum, relinquit immune.

Perfectorum autem opus post revectos de vitiis passionibusque triumphos post multaque caritatis incrementa unio est, ut sc. summo bono iugiter adhaereant ac in optatissimis Dei amplexibus mel de petra sugentes conquiescant.

Horum vero trium statuum primus purgat, secundus illuminat, tertius perficit. Qui sunt tres actus hierarchici, et angelicae et ecclesiasticae hierarchiae familiares, qui tribus viis in itinere spirituali distingui solitis nomina indiderunt. — Prima sc. *via,* quae *purgativa* nuncupatur, eorum est, qui vitia exsecant et passiones interimunt.

Quod ut obtineant, corpus laboribus edomant et severas ei leges ieiuniorum, vigiliarum, rudium et ciliciarum vestium imponunt et acribus de culparum gravitate, de mortis angustiis, de inferni cruciatu, de divini iudicii districtione meditationibus ad laborem impellunt; laboriosum est quippe adnatos vitiorum callos excidere; non enim sine dolore cordis, cui obducuntur et haerent, austeritatis scalpro reciduntur. Ac propterea imbecille cor meditationibus opportunis armandum est.

Secunda vero *via* illustris est ac splendida, quae ob id vulgo *illuminativa* appellatur et eorum est, qui navant operam virtutibus parandis.

Virtus enim est proprium ac verum animae lumen. Sedulitas autem per hanc viam quasi lacteam ingredientium eo incumbit omnis, ut superata virtutum arduitate planum et amoenum iter animus peragat, donec e partis habitibus actus multiplices facile suaviterque producat. Ad opus autem accingitur et expeditur meditationibus crebris de Christi sanctorumque rebus gestis, quae cor ad imitationem incendant, et iugi divinorum beneficiorum recordatione, quae animum sensim emolliat.

Tertia demum *via* vulgo *unitiva* dictitatur, ab optima Mariae parte nomen adepta. Cuius est purgata iam mentis acie divina contemplari et arcano nexu Deo vinciri ibique, velut in arce Sion, pace, quae superat omnem sensum, et voluptate purissima perfrui.

Sapientissimus autem Deus ita vias has studiaque diremit, ut tirones interdum veteranorum praerogativis exornet et suavissimo divinae contemplationis blandimento permulceat, ne forte ob-

iecta virtutis arduitate ac tentationum pressura territi ab incepto resiliant, quemadmodum e contrario perfectiores animas acerrimis saepe tentamentis sinit infestari, ne forte extollantur. Propterea quippe Apostolum, omnibus christianae perfectionis numeris absolutum, improbus carnis stimulus tam violenter angebat, ne magnitudo revelationum illum efferret. Cum enim quis, quantumvis perfectus, se cernit incipientium molestiis obsideri, seipsum quasi nullius meriti deprimit et tamquam iter longum peracturus laborat impensius proficitque felicius.

Hic autem minime silendum est trium viarum virtutes, si naturam illarum spectemus, easdem esse; at si gradum vel incrementa pensitemus, insignibus spatiis a se mutuo disparari. Una sane virtus caritatis est, quae incipientibus exoritur, in proficientibus adolescit, in perfectis ad iustam provecta magnitudinem, ad unionis divinae nuptias in Dei thalamum introducitur. At vero perfectorum caritas tantopere supra incipientium proficientiumve mensuram caput effert, ut eloquentia ulla exprimi nequeat.

Ex quo certe discrimine possumus aperte dispicere illud tam insigne, quo contemplatrix ab actuosa vita secernitur. Quae enim activa vocatur, duas e tribus viis sedula percurrit, sive vitia revellens passionesque coërcens, quod est incipientium, sive virtutum incrementa conquirens, quod est proficientium, ac in eum modum universi virtutum moralium actus ad opus activae vitae pertinent, ut iis ad contemplatricem anima comparetur tamquam sponsa, quae ad Regis aeterni consortium — saltem frequenter — non sit admittenda, nisi multarum virtutum circumamicta varietatibus.

Contemplativa vero, iam satis dives et ornata, tertiam viam vere sublimem permeat: si tamen permeare dicenda sit, quae sedatis motibus diversis in Dei clementissimi amplexibus dulcissimo somno requiescit. Ubi divina caritas ultra vitae actuosae incrementa eo caput extollit, quo vix fertur intuitus. Ac ita purgativa et illuminativa activae, unitiva contemplativae apta consensione respondent.

Quapropter, quod vulgo dicitur hoc vel illud hominum genus vitam contemplativam ducere, qui tamen iuxta eorum institutum in passionibus subiugandis et parandis virtutibus cum orationis frequentia seipsos exercent vel a suis ductoribus exercentur, si perpendamus rerum eventum, fortasse minus proprius sermo est. Etsi enim piis meditationibus ac iteratis virtutum actibus ad contemplationem aspirent, proprie tamen in activa versantur, licet fieri possit, ut divina interdum contemplatione, singulari Dei dono recreentur vel etiam post agones multos ad contemplativam quoque pertingant. Diserte dictum est viros hos in actuosa vita versari, si rerum *eventum* perpendamus. At si *scopum*, quo feruntur, inspectemus, non improprie contemplativi appellantur; S. quippe Thomas (2, 2, q. 180, art. 1) contemplativos ait nuncupari non eos, qui contemplantur, sed qui contemplationi vitam totam devoverunt.

Ex his ergo, quae asseruimus, facile eruitur, ad quem caritatis seu gradum seu statum theologia mystica pertineat. Cum enim sit cognitio ingenua Dei, per unionem divinam elicita, aperte cernimus ad tertium procul dubio statum seu viam, cui familiaris est contemplatio, pertinere, ut non abs re in dono sapientiae, quemadmodum in caritate ipsa tres etiam

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

gradus auctores nonnulli discreverint ac in tertio theologiam hanc collocaverint [1].

Ubi oppido expendenda sunt duo, quae diserte traduntur, esse videlicet cognitionem et hanc elici per unionem; utrumque enim ad theologiam mysticam spectat et opus intellectus, nimirum contemplatio, et voluntatis, h. e. unio sive actus ille cum Deo complexus, de cuius caelestis puritate ac nobilitate sermo redibit. Nunc vero contemplationis speculatio tradenda est.

Caput III.

De divina contemplatione.

De contemplatione acturi eam claritatis gratia a meditatione secernamus. **Meditatio** est discursus intellectus satagentis voluntatem vel a malo arcere vel ad bonum impellere. Et hic est primaevus ille labor, quo exercentur, qui seipsos orationis operi devoverunt. Cum enim voluntas, divinis impulsibus minime assueta, virtutis arduitatem perhorrescat, necesse profecto est multo conatu agmineque rationum ei studium virtutis persuadere oratorum more, qui rationibus harmonice compositis consessus corda demulcent. Et haec est ea celebris exercitatio, quae in nonnullis coenobiis serio virtutem colentibus in morem inducta est. Quorum ea est consuetudo, ut semel aut bis fratres, postquam singuli seorsum se comparavere, in locum opportunum convenientes et e libro aliquo sententiam meditationi consentaneam excerpen-

[1] Sic Dionys. Carth. super 3 Dionys. de mystica theol.

tes pro captu quisque suo in intellectu velut in quodam spirituali ventriculo eam in frusta concerptam excoquere, eius nimirum vim et ad movendum efficacitatem excogitatis id rationibus trutinare conatur. Hoc enim pacto quaedam intellectus quasi rubigo detergitur et voluntas delinitur ac bene erga Deum afficitur, qui meditationis scopus est.

Hic autem interea, dum intellectus ad persuadendum rationes invenit atque disponit, saepe voluntas incalescens pro receptis a Deo donis gratias rependit vel bona, quibus eget, exposcit, quo in actu proprie consistit oratio, tametsi sub hoc orationis nomine partes huius exercitii omnes praeparationem, videlicet lectionem, meditationem, gratiarum actionem, oblationem ac petitionem complectamur et viros eiusmodi operi vacantes contemplationi deditos appellemus. At ab huiusmodi vel meditatione vel oratione, quae contemplationi viam sternit, tam longe propria contemplatio quam longe a diluculo meridies ipse discernitur. Cum tamen illa contemplationem praeire debeat, saluberrimum est illi assuescere vel forte necessarium. Quod S. Augustinus vel, ut aliis placet, S. Bernardus satis aperte docuit aiens: «Contemplationis adeptio sine oratione aut rara aut miraculosa.» Quod tanti ponderis assertum, multis experimentis probatum, numquam memoria deberet excidere, ne tamquam saltu nos librantes, donum contemplationis orationi non assueti obtinere satagentes, elationis culpam incurreremus vel e contrario orationem frequentantes a contemplationis adeptione animum desponderemus.

Cum enim meditatio sit anxia et multis agitata procellis navigatio et contemplatio portus bene

saeptus atque tranquillus, clementissimus Deus laborantes remigando et periclitantes paternis oculis conspicatus ad pacatam contemplationis stationem fessos invehere consuevit. Iam ergo contemplationis rationem expensuri hoc unum discrimen pro foribus exploremus oportet, meditationem nimirum esse motum vel excursum, contemplationem vero quietem: ac propterea, statim ac discursus, qui est motus intellectus veritatem inquirentis, veritate cessat inventa et illi intellectus velut acquiescendo coepit cum admiratione inhaerere, incipit exsistere **contemplatio.**

Quod certe discrimen non a divinis tantum, verum et a naturalibus contemplatoribus observari facile poterit; solent enim nonnulli studiosiores philosophi sciendi cupiditate acriter incitari, impensius in meditationem incumbere naturaeque secreta avidissime rimari et quodam celerrimo discursu veritatem, quam venari cupiunt, insequi, quam mox ut invenit, intellectus sedatur et quiescit et in tranquilla eius speculatione delectatur. Ubi speculatio illa, delectatione permixta, naturalis contemplatio est, at humili loco nata et cum divina, de qua dicere adorimur, minime conferenda.

Prius tamen, quam definitionem tradamus, advertendum est sex propemodum **contemplationis** gradus a Patribus recenseri solitos.

Primus [1] est erga ea, quae sensibus externis percipiuntur; secundus est progressus a sensibilibus ad intelligibilia; tertius diiudicatio sensibilium se-

[1] S. Thom. 2, 2, q. 180, a. 4 ad 3, ubi exponit mentem Rich. l. 1 de Contempl. c. 6, sex autem contemplationis species recensentis.

cundum intelligibilia; quartus absoluta consideratio intelligibilium, quae per sensibilia inveniri non possunt, sed per rationem capi possunt; quintus perceptio intelligibilium, quae per sensibilia inveniri non possunt, sed per rationem capi possunt; sextus perceptio intelligibilium, quae ratio neque invenire neque capere potest.

Verum quia contemplationis divinae ratio a nobis tractanda ex iis gradibus minime variatur — sive enim cognitio exoriatur a sensibus sive ab imaginatione sive a meditatione sive a lumine infuso, non ideo propria contemplationis divinae forma varia est, sed nunc a sensibus auspicando, nunc, quae mente conceperamus, repetendo, nunc iis cessantibus divino tantum lumine perfusi divina contemplamur —, quando videlicet Spiritus sapientiae nos illuminat et vel inopinos arripit vel conantes adiuvat — ideo gradus illos minime explanamus nec in eis divinam contemplationem inesse censemus, nisi flante Spiritu Dei ad eam contemplationis, quam mox describemus, sublimitatem assurgant. Ad quam certe si assurrexerint, iam non erit ulla distinctio formae, sed unius rationis, a diversis licet orta principiis, contemplatio. Quod vel hac una ratione convincitur. Sive enim quis aspecta corporum pulchritudine, quam miratur, ratiocinando inferat infinitam Dei pulchritudinem et in eo discursu divino Spiritu afflatus in tranquillam divinae pulchritudinis contemplationem attollatur, sive nullam corporalem pulchritudinem inspectans infuso dumtaxat lumine, quo ei divinae pulchritudinis magnitudo detegitur, in eandem contemplationem sublevetur, non ideo diversa erit contemplationis ratio; esto plures viae sint, quibus in eam Sionis pacem ascenditur, quemad-

modum suo loco patebit. Sed iam definitionem tradamus! [1]

«*Contemplatio est actus intellectus non impediti, gratia sanati, in aeterna spectacula directi et admiratione suspensi.*»

Haec definitio seu descriptio sub iisdem verbis est S. Bonaventurae (in tertio itinere aeternitatis dist. 2), cui subicit alteram Richardi descriptionem, quae sic habet: «Contemplatio est libera mentis perspicacia in sapientiae spectacula cum admiratione suspensa, libera sc. a peccato et appetitione rerum perspicax, h. e. sana puraque, per gratiam in sapientiae spectacula suspensa, h. e. in divinam veritatem bonitatemque intenta et ex admiratione divinorum obstupescens.» Haec est S. Bonaventurae interpretatio compendio dicta. S. Thomas (2, 2, q. 180, a. 3 ad 1) ex Richardo ait contemplationem esse perspicacem et liberum contuitum animi in res perspiciendas, nec tamen eam definitionem explanat. Potest autem S. Bonaventurae interpretatio illi coaptari, ut ex verbis ipsis facile perspicitur. Certe Richardus (lib. de contemplatione c. 4) duas in unam sententiam definitiones contemplationis posuit, ex quibus alteram S. Thomas, alteram S. Bonaventura desumpsit.

Quo vero positam definitionem explicemus meminisse oportet, quod superius asseruimus, contemplationem sc. esse actum elicitum a sapientiae habitu, uno nempe e septem Spiritus Sancti donis, cuius est Deum contemplari, non quovis modo, sed ex dilectione cum quodam experimento suavi-

[1] Notandum nos hic de divina contemplatione, non vero de rerum creatarum, quantumvis intellectualium et excelsarum contemplatione agere, quam iuxta potissimum eius statum mox describemus.

tatis in voluntate, quae profecto S. Thomae sententia est, quandoquidem (1, q. 43, a. 5 ad 2) Dei cognitionem atque experimentalem perceptionem — quae est ipsissima contemplatio — sapientiam proprie dici fatetur, iuxta quam Filii missionem fieri paulo ante asseruerat, per sapientiam vero donum Spiritus Sancti aperte intelligit. Ex hoc efficitur divinam contemplationem nisi ex dono Dei supernaturali nemini contingere; tametsi nonnullis in culpa mortali iacentibus ob infinitae bonitatis magnitudinem contemplationem indulgeri beata mater Teresia crediderit, quod rationi consentaneum est, quia divinae bonitati congruit in hoc etiam gradu seipsam ostentare, ut aversos a se animos eiusmodi caelesti munere ad se alliciat ac per hoc hominibus clarius innotescat.

Verum assertum hoc ita posset accipi, ut ipso divinae contemplationis amorem spirantis et ad Spiritus Sancti dona pertinentis actu, qui iacebat in culpa, iustus et a Deo acceptus fiat. Si enim uno contritionis actu is homo fieret gratus Deo, cur non uno divini amoris actu, qui in contemplatione divina potissimum fervet? Praesertim cum ipsa contritio ex dilectione vitam eliciat; propterea enim non quivis dolor eam praerogativam obtinet, sed qui propter Deum concipitur summe dilectum. Diximus vero assertum sic accipi posse, quod non prorsus id ita contingere astruamus. Nam cum non subsit efficax ratio ad omnino asserendum contemplationis actum semper ad Spiritus Sancti dona, gratiam gratum facientem individue comitantia pertinere, posita S. Thomae (2, 2, q. 172, a. 4) et omnium theologorum sententia, per gratiam sc. prophetiae, quae et peccatoribus indulgetur, sublimem contemplationem exerceri cen-

sentium, certius et ad mentem beatae Teresiae accommodatius videtur, ut accepto etiam insigni contemplationis dono possit peccator aliquantum emolliri, tametsi ad gratiae statum minime resurgat, quin etiam et tactum illum Dei supremum, quem diximus theologiae mysticae partem esse, absque Dei gratia gratum faciente constare posse, quemadmodum et cetera dona, quae gratiae gratis datae a theologis nuncupantur, nonnullis videtur. Altum quippe gratiae gratum facientis secretum est: Ne quis vel ipso Dei sensu gustuve glorietur! Quapropter, cum in descriptione asseritur contemplationem esse actum hominis gratia sanati, de sanctorum contemplatione, quae est actus ab habitu sapientiae productus mysticaeque theologiae proprius, accipiendum est; ad quorum mentem traditam definitionem expendamus.

Prima vox, quae interpretamento indiget, haec est: *non impediti*[1] vel, ut alii loquuntur, *liberi*. Contemplatio[2] enim non cuiusvis intellectus est, sed illius dumtaxat, qui ab omnibus se abstinet, quae pacem interturbare possunt, cuiusmodi sunt frequentia negotia, convictus hominum, sollicitudo, etiam pro piis operibus, timor, scrupuli et eius generis alia, quae, quantumvis pietatis ergo suscepta, cor obruunt, obdurant vel retardant. Propterea — nisi urgente nos oboedientia — qui cupimus vera frui libertate, quoadusque cor, virtutum profectu confirmatum, inter mortuos liberum esse, h. e. inter

---

[1] Cf. p. 37.

[2] S. Bonaventura (in tertio itinere aeternitatis) tradens contemplationis descriptionem, quam posuimus, non quamlibet contemplationem, sed nobilissimam, quae est in potissimo statu, descripsit. Hanc nos sanctorum contemplationem perspicuitatis gratia nuncupamus.

ipsa negotia se in officio continere ac divinae contemplationi aptum perseverare possit, eniti debemus, ut velut in agone contendentes omnia prorsus abiciamus, quae partem ullam cordis sibi vindicant, ut intellectus Deo soli totus intentus divina claritate perfundatur.

Gratia sanati: Opus nimirum est, ut intellectus, qui ex elatione primi parentis contagiosa caecitate aegrotat, divinae sapientiae lumine persanetur. Aegritudo morbusve intellectus est caecitas vel ignoratio, sanitas est sapientia. Quae cum sit unum e septem Spiritus Sancti donis — ut assertum est — et divinam gratiam semper comitetur, fit inde, ut excepto eventu illo superius descripto, si de modo consueto sermo fiat, ii tantum, quos misericors Deus ad gratiae statum evehit, illa potiantur eiusque privatione omnes in peccato letali iacentes insipientes sint, patris sui Adae hereditate, qui, cum in huius divinae sapientiae honore esset, non intellexit et iumentis insipientibus comparatus est, tametsi non ob peccatum scientias alias infusas amiserit. Fuit quippe, etiam postquam peccavit, philosophus ac theologus, at theologus insipiens, dono videlicet habituque sapientiae exspoliatus, quales profecto minime paucos theologos passim licet invenire, quia mundus non cognovit in sapientia Deum.

Hac ergo sapientiae sanitate perfecte valens intellectus nobilissime afficitur ad promendam quandam sedatam, candidam subtilemque notitiam, qua divina percipit sine ullis ambagibus vel discursibus, sed puris tantum et tranquillis obtutibus, qui non semper a phantasmate, ratione sive ratiocinatione dependent solaque simplicissima et limpidissima operatione ab intellectu dimanant.

Ut autem intellectus descripta sanitate polleat, magnopere confert ardor voluntatis, quam intellectui contiguam sapientia ipsa splendore suo illustrat, sapore divino imbuit ac incendit. Ideo enim invisibilis missio Filii fit per hoc sapientiae donum, quod cum ipso Dei Filio miram similitudinem gerit, ut quemadmodum ille est Dei Verbum, non qualemcumque, sed Verbum spirans amorem, ita sapientia fit, non quaevis Dei notitia, sed quae amoris producat affectum. Ex quo fit, ut simul, dum intellectus divina contemplatur, voluntas eorundem amore flagret et utraque potentia suavissimo agone concertet, dum voluntas permovet intellectum et intellectus urget voluntatem. Ubi patet contemplationem sanctorum includere voluntatis erga Deum bene affectae actum; alias enim modicam laudem mereretur.

Celandum vero non est in hoc loco sub hac, quam tetigimus, sanitate omnem propemodum immunitatem a culpa nos velle complecti.

Non enim tam sublimi dignitate potiri poterunt intellectus et voluntas, si culpae contagione inquinentur: non culpae tantum letalis, verum et venialis, quae cor ab eiusmodi statu longe divertit. Certe, quemadmodum limpidissimam stagni quiescentis aquam minimus lapillus invectus obturbat, ne spectantis nisi intercisam et nutantem reddat effigiem, quam prius exacte repraesentabat, sic sane leviores culpae animam, ne imago Dei intus depicta reddatur.

Quod non ita enuntiamus, ac si, qui dono contemplationis frequenter ditantur, veniales culpas numquam incurrant. Incurrunt enim, sed rarius quam alii et non adeo sponte. Quin etiam studiosissime illarum occasiones praecavent et, cum ex

fragilitate delinquunt, se quantocius expurgant, ut in cordis serenitate Deum repraesentent eiusque divinas similitudines velut in aqua purissima lucentes intueri mereantur. Et in hunc modum, qui contemplationem affectat, culpas vitare ac praecavere debet.

Huiusmodi praeceptio fortasse dissolvet dubium inter scribendum obortum. Mirum quippe valde videtur, qui fiat, ut, quando universi divinae gratiae consortes donis Spiritus Sancti ac proinde sapientiae habitu ordinantur, vix e multis milibus unus evadat contemplator. Augeturque admirationis ratio expensa ratione habitus scholarum more. Confert enim habitus potentiae, in qua reponitur, quandam agilitatem ac expeditionem, ut actus facile suaviterque producat et quidem, quo habitus nobilior, praesertim si secum trahat affectum, eo certe maiorem generat expeditionem.

Cum ergo sapientia huiusmodi sit et universos iustos afficiat, quomodo tam pauci contemplatores evadunt? Profecto mirum est hoc.

Fortasse tamen una e potissimis huius rei causis est ea, quam coepimus insinuare, sc. non serio vitare leviores culpas et perennem cordis alere puritatem; si enim haec exquireretur, in cordibus puris facile divina cerneretur imago. Sed verba reliqua ponderemus!

In aeterna spectacula directi: Intellectus nimirum contemplans in aeterna spectacula dirigi debet, in Deum sc., qua ratione aeterna veritas et bonitas est. Veritatem intellectus, bonitatem voluntas insequitur, et ipse Deus intellectui contemplanti obicitur, ut verum quoddam, non quodcumque, sed verum excitans dilectionem ingerensque saporem, adeo ut — quod ante indicavimus — actus

sapientiae, qui est contemplatio, non sit quaevis cognitio Dei, sed cognitio genetrix dilectionis cum quodam experimento divinae suavitatis, quam diligebat affectus, sed in definitione demum sic habetur:

Admiratione suspensi. Non est enim propria contemplatio, nisi suspendatur intellectus et coram augustissimis spectaculis obstupescat. Oritur autem suspensio haec ex rerum magnitudine ac novitate super omnem anteactam cognitionem vel notitiam. Contuens enim intellectus tam eximia bona, miratur, et ex admiratione augetur attentio; ex attentione fit cognitio clarior et iucundior, unde oritur suspensio. Quae in mortali corpore nequit esse diuturna nec longa, eo quod anima carnis pondere deprimitur et ad sensuum functiones saepe relabitur. In hunc ergo modum definitionis explanationi — licet exiliter — satisfacere conati sumus.

Cognitio igitur quaevis, quae ad praedictae definitionis non pertinet sublimitatem, divinae contemplationis nomine celebranda non est. Intra proprietatem vero eam distinctio graduum inest iuxta luminis affectusque modum dignatione clementissimi Dei unicuique donatum, et voluntas in gradu perfectissimo contemplationis supra intellectum erecta Deo in sapientiae gustu avidissime adhaeret, ut in proximo capite liquebit.

Caput IV.

De gustu divinae sapientiae sive de gustu contemplationis.

Meminisse opus est, quod de nobilissimo caritatis habitu, qui voluntatem supra intellectum erigit, superius tradidimus. Nam in ea erectione vel

summitate voluntatis affectus caritatis procedit ultra intellectum, ac Deum, cui voluntas adhaeret, gustu quam dulcissimo percipit in gradu quodam sublimi, ad quem non pertigerat intellectus. Quod certe vel exemplo uno vulgatissimo sic explanatur. Evenire quippe crebro solet, ut conditi cibi nidore sensu percepto, quis iudicet sapidum esse cibum ac proinde acceptum avidius edat, ubi plerumque maiorem, quam cogitaverat, saporem et gulae irritamentum offendit. Quapropter saporis experimento convictus intellectus propriorem perfectioremque illius cibi notitiam parit. Ordinis tamen ratio habenda est; gustus enim praecurrit notitiam perfectiorem, licet imperfectam subsequatur. In hunc ergo modum intellectus, divino etiam lumine perfusus, Dei bonitatem, pulchritudinem ac suavitatem maiorem certe persentit, quam intellectus ante didicerat.

Qui propterea gustu voluntatis effectus perspicacior notitiam Dei concipit multo quam ante clariorem. Ubi perspicimus intellectum a voluntate iuvari, ut perfectiorem, quam prius nesciebat, Dei cognitionem acquirat. Tunc intellectus eruditior et serenior divina perfectissime contemplatur, quantum licet inter extorres. Tunc ex unione voluntatis, Deo cupidissime adhaerentis, ineffabilis et multiplex voluptas hauritur, quae omnem sensum et omnem superat eloquentiam, quam solus novit, qui accipit quique eo evectus est, ut per unionem arcanam unus spiritus cum Deo fiat, quo nihil felicius potest evenire.

Verum nequit exacte cognosci, qua ratione contemplatio exerceatur ab intellectu ex affectu voluntatis et qua ratione voluntas supergrediatur intellectum, nisi tradatur divisio partium animae a theologis mysticis usurpari solita, quae sic se habet.

Tres in anima vires cognitioni servientes distingui possunt triplexque ad proportionem eis respondet appetitus. Prima *vis sensitiva* appellatur, quae sensus omnes tum exteriores tum interiores amplectitur, et cognitionem per hos sensus haustam sequitur appetitus ex irascibili concupiscibilique compositus. Secunda vis et media inter animae vires vocatur *rationalis,* quae est ipse intellectus, prout notitiam ex notitia deducit, sive deducat ex eis, quae ab inferioribus rebus abstraxit, sive ex eis, quae superno lumine infuso concepit, licet ibi discrimine opus sit. In prima enim deductione portio rationis inferior, in secunda rationis portio superior appellatur, quae per aeterna de rebus aliis fert iudicium suosque actus emetitur. Huic ergo virtuti rationali respondet pariter rationalis appetitus, quae est ipsa voluntas, qua ratione ab inferiore vel superiore rationis portione movetur. Et haec animae pars intellectu voluntateque constans nuncupatur caelum medium, ut a descripta infima animae vi seu parte velut a primo caelo et a suprema mox describenda quasi a tertio caelo dirimatur.

Tertia denique et suprema animae vis *intelligentia* nuncupatur, quae est ipse intellectus, qua ratione lumen a Deo proxime recipit et vel prima principia conceptis dumtaxat terminis vi naturali vel occulta divinae sapientiae immisso lumine supernaturali sine discursu cognoscit. Hanc mystici theologi vocant mentem, umbram intellectus angelici, tertium sive supremum caelum animae, scintillam vel apicem rationis, quam nonnulli velut potentiam ab intellectu distinctam summopere extollunt. At certe hoc hyperbolice dictum ferri potest, proprie vero minime. Ut enim rationes

praetereamus, quibus evincitur eam distinctionem minime necessariam esse, cum intellectui aptissime tribui possit, quidquid ab iis auctoribus adscribitur intelligentiae, una Doctoris angelici nunc sat erit auctoritas, qui litem hanc prima parte diremit aiens intelligentiam non esse distinctam potentiam, sed proprie significare actum intellectus, qui est intelligere, similiterque de ratione et mente ac intellectu protulit unam dumtaxat esse potentiam. Nec obici sane fas est eum Patrem scholasticum tantummodo fuisse; fuit enim eximius etiam theologus mysticus, et frequens contemplatio ac experimentum Dei probe illum docuerat, quid sibi vellet intelligentia.

Iam ergo intellectui per intelligentiam se exercenti observata proportione respondet affectus, h. e. ipsa voluntas, prout quandam naturalem propensionem ad bonum simplicis intelligentiae conceptu sibi repraesentatum a Deo proxime suscepit. Cui indita fuere nomina iis, quae paulo ante recensuimus, persimilia — videlicet apex mentis, instinctus indelebilis, supremum caelum affectus, stimulus naturalis ad bonum, virtus amatrix superior, scintilla intelligentiae, portio virginalis animae —, quae quidem nomina ob ea paradoxa, quae ibi geruntur, a theologis mysticis excogitata videntur. Hanc igitur voluntatem seu affectum nonnulli asseverant potentiam esse quandam intellectu ac voluntate altiorem, quam, ut aiunt, omnes propemodum ignorant praeter eos, qui a Spiritu Sancto ibi tangantur. In hac enim amor ecstaticus vel mentis excessus fit, quem non bene capit, qui non experitur.

Sed profecto non subest ulla necessitas novam et altiorem hanc potentiam asserendi, quemad-

modum de intelligentia dictum est, sed erectio voluntatis intellectum supergredientis ac Deo magis propinquantis in excelsiorem divinae caritatis habitum, quod e superioribus patet, refundi debet. Excelsus enim ille caritatis Deo haerentis in causa est, ut portio superior voluntatis, in qua viget, quaeque portioni superiori rationis respondet, tantopere se attollat, ut non ipsa voluntas, sed potentia alia, voluntate altior appareat. At revera est ipsa summitas voluntatis ignitae, quae flammescit, igni duplici sapientiae sc. et caritatis, et perfectius Deum adhaesione vel gustatu percipit quam notitiae actu intellectus agnoscat. Sed enim ex ea plane divina Dei perceptione, quae voluntatis est, illustrissima quaedam lux, qua intellectus possit excelsius quam ante divina contemplari, dissultat. Verum secretius quiddam in hoc capite affectus sive in hac summa voluntate geritur, propter quod merito anteponitur intelligentiae, ut capite proximo patebit.

Caput V.

De tactu Spiritus Sancti, voluntatis summitatem vel — quod idem est — supremum affectus apicem tangentis.

Amor ecstaticus in summitate, quam tetigimus, voluntatis effervescit. Et per eam, quasi per linguam quandam, Dei sapor elicitur atque percipitur, quae est secretissima theologiae mysticae pars, per quam velut per tubulum fontis in intellectum clarissima Dei notitia derivatur. Et huius rei cognitio omnium, quae in hac doctrina traduntur, nobilissima est. Quapropter attentius eam exploremus!

Principio ponendum est contemplationem bifariam obtineri ac in amorem iuxta bifariam perveniri.

Primus, quo contemplatio paritur, modus appellatur *scholasticus* eo, quod scholarum more meditando et inquirendo a perscrutationibus creaturarum ad contemplationem divinarum perfectionum assurgit, qui diligentibus aeterna familiarissimus est. Quidquid enim aspiciunt, ad divina traducunt; ut, cum solis lucem intuentur, ex qua divinae lucis claritatem ac pulchritudinem deducentes interdum usque ad contemplationem e meditatione sublevantur. Et idem de aliarum creaturarum perfectionibus. Omnibus enim iis quasi gradibus ad Deum utuntur et sic ascensiones in corde disponunt. Per quas nisi quis ascendere assuescat, incassum contemplationem caelitus immittendam praestolatur, quemadmodum, qui ad paenitudinem concipiendam via consueta non se comparat, frustra divinae gratiae donum, adeo gratis conferendum, exspectat.

Alter contemplationis modus fit per descensum, modo sc. *mystico*, quando nimirum superno lumine illustratur intellectus portio superior, unde certius quam primo modo de inferioribus novit ferre iudicium. Uterque autem modus affectum excitat; alias enim parum prodesset. Observata ergo proportione bifariam generatur amor, scholastice nempe, ut cum ex inspecta creaturarum pulchritudine cor divinam affectat, et mystice, ut cum per lumen infusum divina bonitate intellectu percepta in eius amplexum voluntas exsultat. Et hic duplex amor duplicis illius contemplationis scopus est, in quem suo fertur ingenio.

At enim in utroque amore hoc generationis ordinem facile deprehendimus. Semper enim, ut

is ferveat, praeit contemplatio, qua intellectus clarescit, et mox urget voluntatem nec in hoc mirum quippiam accidit, in quo sit opus immorari. Sed ulterius ascendamus, affectus apicem exploraturi!

Et primum animadvertendum est praeter duos illos contemplationis et amoris producendi modos alium in Deum assurgendi modum, a facilitate ac nobilitate summopere commendatum, a theologis mysticis tradi, quem *sapientiam unitivam* appellant, consistitque in motibus anagogicis sive aspirationibus, quibus cor enititur ad Deum assurgere ac illi avidissime adhaerere. Quibus in motibus sive aspirationibus intellectus ab opere quasi desistit et conatus prope omnis in unam voluntatem incumbit, quae in Deum seipsam erigit ac iteratis quatit impulsibus. Hac vero exercitatione incalescit miro modo voluntas et brevi maiora lucra conquirit, quam si modis aliis se prolixius exercet. Quod certe pronuntiatum, quia maximi ponderis est, ne quis incautus aut nimis festinus aberret, ita debet accipi, ut, postquam quis purgatrice ac illuminatrice via se aliquamdiu exercuit, tunc intellectum alias satis instructum requiescere sinens voluntatem sursum impellat, ut ea frequentissimis desideriis inflammata Deo tota velut arens terra dehiscat. Hoc enim studio quam citissime cor erigitur et optatissimo amplexu Deo sociatur, quod exemplo subiecto planius fiet. Sunt nonnullae religiosius institutae coenobitarum congregationes, ubi statis horis monachi orationi mentali, quam vocant, quotidie vacant et opportunis meditationibus iuxta coenobiticam disciplinam de vitiis exstirpandis parandisque virtutibus attentius cogitant et ad opus voluntatem incendunt. Quo ex loco

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

armati prodeuntes actus permultos tum ex ipsa claustri disciplina passim iniunctos tum ex profectus desiderio ultro excogitatos et susceptos in dies obire consuescunt.

Ac proinde ipse, quem profitentur, status eos purgat et purgando illuminat, h. e. vitia evellit edomatque passiones ac virtutes acquirit. Unde qui per aliquot annos illis operibus intenti in eo gymnasio perstitere, omni dubio procul ex frequentiore lectione, contionibus, exhortationibus, privatis instructionibus, exemplis, perenni Dei praesentia, quam impressam cordi semper animo versant, et potissimum ex quotidianis et statis orationis horis, ubi attentius agunt, idoneam quandam divinorum notitiam compararunt, qua voluntas emollita et erga Deum bene affecta est. Quapropter sine novis conatibus et cogitationis excursibus, quoties de divinis cogitare volunt, mox eis succurrit ea notitia, quam meditationibus anteactis pepererunt, nec egent labore novo ad voluntatem afficiendam aut certe, si labore intellectus egent, is exiguus est exemploque liquebit.

Profecto enim, si quis multis meditationibus Dei pulchritudinem mente pertractavit, quandam illius imaginem, licet imperfectam, ultra omnem creatam venustatem mente concepit atque servavit. Quam, quoties animo repetere voluerit, ibi quasi tabulam in officina pictoris asservatam offendit eaque, quoties libet, utitur ad voluntatem demulcendam. Quodsi non ita ad vivum ab intellectu illa redditur imago, quod diu intermissa et pulvere obsita sit — ut in allata similitudine tabulae plerumque usuvenit —, labor certe modicus exigitur ad pulverem difflandum et imaginem detergendam.

Tunc igitur, qui intellectu sic illuminato pollet, debet illum leviter refricare et voluntatem ardentius urgere frequentissimisque aspirationibus ac *desideriis* cor ad Deum erigere. Hoc enim exercitio citius experimento res divinas addiscet et igne divino conflagrabit, quam si de divinis diu attentissime cogitaret. De quo inferius sermo redibit, cum ex hoc praesertim documento progressus omnis pendere videatur.

In quo certe aperte dispicimus, quomodo voluntas intellectum supergrediatur, dum intellectus nihil propemodum agit praeter unam satis simplicem divinorum repraesentationem ex parta prius notitia succurrentem, voluntas vero in bonum pulchrumve ipsum vehementer effertur cupideque complectitur et subtili sapore maius quiddam percipit, quam didicerit intellectus. Posse enim Deum ipsum, nedum alia bona, amplius impensiusque amari quam cognosci S. Thomas diserte fatetur.

At hic summopere adnotandum est, quod a nonnullis theologis mysticis traditur — fortasse non tam digestum, ac expediret —, cum aiunt his motibus anagogicis vel aspirationibus omni cogitatione, meditatione vel alio intellectus actu praetermisso voluntatem, quoties libet, ad unionem divinam se erigere ac mirifice praecurrere intellectum. Adnotandum, inquam, assertionem hanc non ita indigeste accipiendam; sive enim expendatur scholasticus in amorem assurgendi modus sive mysticus sive hic anagogicus, quos hucusque descripsimus, omnino verum videtur semper aliquem, saltem simplicem intellectus conceptum praeire, antequam voluntas illis motibus amoris incalescat et sapientiae unitivae nexu Deo advinciatur, tametsi necessarium non sit cogitationem meditationemve praeire.

Quod nulla ratione efficacius evinci posse videtur quam historia illa de familiarissimo fratris Aegidii, ex comitibus S. Francisci, raptu. Mox enim, ac Dei vel caeli nomen audiebat, citissimo quasi pennatae voluntatis motu in Deum extra se tollebatur. Ubi manifeste cernimus necesse fuisse, ut sub nomine Dei vel caeli, quod audiebat — simplici saltem conceptu —, Deum caelumve intelligeret. Erat autem simplex eiusmodi conceptus ob anteactas Dei caelique meditationes et contemplationes tam fecundus et efficax ad voluntatem impellendam, ut voluntas meditatione vel ratione ulla tunc minime indigeret, sed tempus antevertens in satis sibi nota bona quantocius prosiliret.

Ad hunc ergo modum theologorum mysticorum doctrina librauda est, ut nimirum, qui via purgatrice ac illuminatrice profecerunt et iis viis affectum excitare perquam sedulo didicerunt, ad tantam interdum voluntatis agilitatem pertingant, ut simplici dumtaxat rerum divinarum conceptione praemissa statim sine alio intellectus actu ferantur in Deum. Sed ut ad felicem huiusmodi agilitatem voluntas attollatur et ut · quod iam subicimus —, donum tangentis Dei detur experiri, in calce operis tradetur methodus praestandi, quod in nobis est, ut clementissimus Deus nostros adiuvet perficiatque conatus.

Tribus igitur praefixis contemplationis et amoris divini parandi modis superest ille nobilissimus et facile *supremus Dei tactus*, de quo caput hoc inscriptum est, qui supra modos alios voluntatem commovet atque perurit et qui prae ceteris arcanus est.

Fit autem arcanus hic tactus, ut nonnullis scriptoribus videtur, cum sine ullo intellectus actu co-

mite vel praevio Spiritus Sanctus sui amoris igne tangit et inflammat supremum affectus apicem, h. e. iuxta doctrinam traditam ipsam voluntatis summitatem vel portionem superiori intellectus portioni respondentem. Nos vero in ea sumus sententia, quae asserit eum tactum sine aliquo intellectus actu fieri non posse, cum S. Augustinus (l. 10 *de Trinitate*) et S. Thomas (1, 2, q. 27, a. 2) censeant nihil incognitum, h. e. sine cognitione amari posse. Quando autem voluntas sic tangitur, divina patitur, h. e. divino modo afficitur. Ex eo quippe actu motus sive impulsus quidem imprimi videtur ei, ut in Deum velut in centrum suum feratur, qualis ex magnetis tactu stilis ferreis imprimitur, quo semper in mundi polum verticemve cientur. Et haec secretissima totius mysticae theologiae pars est.

Postquam ergo Spiritus Sancti tactu bene affecta multisque impulsibus insecuta et amplexata Deum voluntas divina patitur et gustu intimo Dei bonitatem ac pulchritudinem percipit, affulget intellectui, qui inferius remanserat, clarissima et verissima Dei cognitio, multo certe nobilior quam per alias doctrinas universas et ingenium fit maxime perspicax.

Quin vero non solum anima, verum et sensus et corpus mirifice perficiuntur. Quanto enim affectus ille viget magis, tanto etiam magis corruptio carnis diminuitur.

Iam autem ex dictis patere potest decisio illius tam controversae quaestionis, an sc. contingat voluntatem progredi ultra intellectum[1]. Contingit quippe; licet enim praeeat actus intellectus, voluntas

[1] Caput IV sub initium. Canone 19.

tamen intellectum gustu transilit, ut in superius allata cibi similitudine et S. Thomae auctoritate patuit. Quod aperte cernitur in hoc arcano tactu Spiritus Sancti, qui transcendit omnem notitiam et luce perfundit intellectum. At quia, ut dicere coepimus, tactus hic mysticae theologiae pars penitissima est, ad eum pro captu nostro explanandum multa scitu iucundissima, quae clementissimus Deus indulgere solet animae illum sitienti, antequam ad eam celsitudinem evehatur, praemittenda sunt.

Caput VI.

De multiplici raptu, qui tactum Spiritus Sancti praecurrit.

Clementissimus Deus, antequam mystico tactu ad supremam unionem animam rapiat, multiplici raptu non ita excelso ad unionem multiplicem solet illam efferre. Quapropter, ut ad praemonstratum Spiritus divini tactum veneratione dignum ascendamus et illius sublimitatem quadamtenus contemplari possimus, raptus alios inferiores recensere ac explorare opportunum existimamus. Et primum quidem statuendum est interni huius cum Deo commercii partes ita esse mutuo consertas, ut in uniuscuiuslibet tradenda doctrina necesse sit omnium fere aliarum doctrinam admiscere. Cum enim Deus ad se rapit animam, ad eum certe finem illam trahit, ut arcana unione illi societur. Ex unione vero divina voluptas exoritur et castissimo sensu percipitur, ac denique in ea Dei consuetudine occulta divinae sapientiae contemplanti animae revelantur. Quamobrem simul de raptibus, unione gustibusque agemus. Revelationes vero,

visiones et alloquia divina seorsum, quia facilius unum in locum congeri possunt, a nobis tradentur.

Raptus ergo, ut a definitione auspicemur, *est elevatio per Spiritum divinum ad aliqua supernaturalia cum abstractione a sensibus.* Et quia raptus violentiam significat, nequit in voluntate consistere, cui vis nequit inferri. Nam cum ipsa sit quaedam propensio ad bonum, quo fortius in id vocatur aut trahitur, eo propensio fit maior et a violentia remotior, tametsi intensa propensio causa frequens raptuum esse soleat. Ex vehementi quippe affectu fit, ut homo ab aliis omnibus alienetur, voluntate vires alias seu potentias cognitioni servientes, in quibus raptus celebratur, in id, quod affectat, impellente. Nec vero vires illae vim pati dicuntur, quia trahuntur in Deum. Ex hoc enim capite non eis infertur vis, cum finis earum Deus sit, quem expetunt; sed quia celerius seu velocius impelluntur, quam ordo naturae ferat, cuius est per sensibilia sensim in Deum assurgere. Ac ideo *violentia in modo inest tantum,* in modo sc. rapido ac vehementi, quemadmodum cum lapis in terram proicitur illato violenter impulsu. Non enim infertur vis lapidi, quia proicitur in terram, quam expetit et in qua una requiescit, sed quia proicitur violentiore motu, quam natura reposcat. Raptus igitur violentia inest in ea abstractione sive alienatione rapida a sensibus, non vero in eo, ut ad Deum anima feratur. Quin etiam illi vis irrogatur, si divertatur a Deo sicut et lapidi, si a centro depellatur. Ex quo efficitur, ut anima, quamdiu ad Deum mente non aspirat, vim pati dicatur.

Ecstasis a raptu tantillum dirimitur. Ecstasis enim non *significat* violentiam, sed *simplicem ex-*

cessum animae a se ipsa. Ac ob id ipsa etiam voluntas ecstasim pati dicitur, et divinus amor ecstasim facere ab antiquis theologis dictus est. Ubi animadvertendum est hunc excessum tam voluntatis quam appetitus sensitivi causam esse raptus utriusque potentiae cognoscentis, vel quia mens ad intelligibilia rapitur a sensibus alienata vel ad aliquam imaginariam visionem arrepta. Sed iam a primo raptu exordiamur.

Primus certe raptus, si perfectionis ordinem, nimirum a minus perfectis ad perfectiores expendamus, est internorum sensuum super externos: quando ex desiderio fervido, rei imaginatione repraesentatae, externi sensus introvertuntur ac propriis actibus defunguntur Deo animam commovente. Quod in hunc modum fieri dicitur. Gratia videlicet clementissimi Dei, instar rivuli, influit in vires sensitivas movens ac stimulans animam, ut se in Deum erigat ad ineundam cum eo amatoriam unionem.

Quam certe excitationem corde ac praesertim vi concupiscibili percipit. Qua refici solet interdum — postquam multa navitate cor in Deum erigere studuit — accurrente suavissimo Domino et fesso cordi blandiente adeo, ut mira illud voluptate permulceat et superno lumine illustret. Quod plane caeleste donum, mox ut homo adipiscitur, imperiose despicit, quae ante cupiebat, et amore Dei amplectitur, quae prius oderat. Gradus autem hic non usque adeo defaecatus est, quin voluntas haereat voluptati, ex quo labes contrahitur, quae puro reluctatur amori. Pervenire tamen valet ad unionem virium inferiorum, ubi divina blandimenta percipiuntur, prout assertum est.

Huic autem descripto raptui congruit quidam orationis gradus, qui iuxta beatam matrem Teresiam est conceptus vel **collectio sensuum ad interiora,** *ubi anima cum praesente Deo agens defungitur sensibus.* Quem certe gradum censet non esse usque adeo excelsum. Licet enim supernaturale quiddam ibi recipiatur, admiscetur tamen quidam conatus animae, ante doni receptionem satagentis et potentias intra ipsasmet ope divina includentis, quem postmodum perficit Dominus, qui est in opportunitatibus adiutor, et in eo animae labore ab aliis orationis gradibus, illo non adeo indigentibus, secernitur.

Ac proinde gaudium, quod ibi generatur, quasi torculo laboris expressum, a gustu, qui in aliis percipitur gradibus, tamquam caelitus immissus longe seiungitur. Quapropter subtili discrimine huius gradus voluptates non gustus, qui iuxta illam sponte fluunt, sed gaudia (hispane: contentos), quae sedulitatis etiam nostrae opere parantur et velut exprimuntur, beata mater Teresia nuncupavit et **mentis elevationem,** *ubi* eiusmodi *gaudia proveniunt,* receptus vel **collectionis orationem** appellavit. In hac perspicaciter notat non omnino intellectus opus deficere, tametsi cesset discursus. Qui si forte interim eripuerit, enitendum est, ut suaviter, sine illata sc. vi intercidatur; sed nec intellectus nec cogitatio suspendi debent, ita sc., ut nihil mens agens otio torpeat velut instillandam a Deo contemplationem exspectans. Hoc enim suspensionis genus et vanum semper et stultum est. Vanum quidem, quia non assequitur finem, sed operam perdit, qua se anima poterat exercere; stultum vero, quia dementia est suspensionem, quam solus Deus, cum ei placet, immittere potest, arte nostra moliri.

Raptus deinde potest appellari quaedam exuberantia et quasi **ebrietas spiritualis,** *quando videlicet repente cor et omnes vires sensitivae tanto voluptatis torrente perfunduntur illabente Deo, ut se continere nequeant et motibus ac gestibus insolitis ingentem eius voluptatis vim prodere quasi cogantur.*

Cor quippe in unione, quam ibi cum Deo init, tam acri stimulo divini amoris et desiderio divinae fruitionis inflammatur et apertis poris — velut ad capiendum Deum — adeo distenditur, ut pectus ei nimis arctum videatur; ex quo amoris flamma, quae ibi voluptate tamquam oleo nutritur et invalescit, foras violenter erumpit, musti ebullientis more, quo novae lagunculae dirumpuntur. Quod olim Apostolis die Pentecostes accidisse videtur, cum plebs musto madere putabat, quos Spiritus repleverat.

Signa vero supernae huius ebrietatis sunt: cantica, iubilus, qui est ipsa eruptio ebrietatis, gemitus, soni informes, quales edebat frater Mussaeus e familia S. Francisci, qui hac ebrietate correptus nihil nisi v. v. v. personabat, quo certe sono ingentem divinae voluptatis vim prodebat. Contingunt etiam tremores membrorum, saltus, plausus, impulsus vehementes et cursus, qualis contigit fratri Bernardo, primo S. Francisci filio, qui solebat interdum a Spiritu actus per montes cursitare.

Vocatur autem haec affectio, ebrietas per metaphoram. Sicut enim in ebrietate vinum haustum digeri nequit ac evomitur, ita spiritualis voluptas intus concepta et effervescens, cum ei modus addi nequit, ardenter efflatur. Est autem singulare Dei donum et recenter in Deum conversis quandoque solet indulgeri.

Dictum vero est posse raptum appellari, quia, licet non prorsus mens a sensibus alienetur — quod in raptu necessarium esse aliquis censere posset —, nonnulla tamen alienatio videtur accidere, et ipse sensuum usus non tam videtur proprius quam alienus, divini sc. Spiritus, qui membra suis motibus impellit.

Verum tametsi ebrietas haec prae magnitudine laetitiae quietem ferre nequeat, altera etiam ebrietas menti in contemplatione solet accidere, quae prae dulcedinis magnitudine quietem conciliat. Quam beata mater Teresia **orationem quietis** appellasse videtur. Ait quippe omnes *in ea potentias requiescere animamque miro quodam modo intelligere Deum iam sibi propinquum et quasi contiguum esse,* ita ut levi conatu ad unionem divinam pertingere possit. Similem inquit esse statum eum exteriori interiorique virium omnium deliquio, ubi corpus loco se movere nollet. Nec mirum, quia eximia voluptate corpus et satietate anima ita reficitur, ut ad progressum virtutum vires duplo augeantur.

Potentias vero ait non adeo extra se abductas, ut animadvertere nequeant, apud quem versentur. Voluntas, inquit, captiva, aliae vero duae liberae manent. At intellectus unum dumtaxat intelligere et memoria nonnisi unum meminisse vellet. Nollet anima, ut corpus tantillum moveretur, verita illius quietis interpellationem eventuram ac ita vel sermo ipse displicet.

Orat cunctanter ita, ut uni orationi dominicae horam unam impendat; Deo autem adeo propinqua sibi esse videtur, ut nutibus se ab illo intelligi seque mutuo illum intelligere animadvertat. Erumpunt interdum lacrimae suavissimae acciditque non-

numquam, ut diem integrum voluntas, Deo sociata et unita, aliaeque duae potentiae, liberae atque solutae ad communes actus obeundos remaneant, licet anima non prorsus ea, quae tunc operatur, consideret; potior enim eius pars Deo adiuncta persistit.

Adnotat valde prudenter, non esse opus, ut anima huiusmodi supernaturali pace fruens anxia sit adeo, ut nec halitum efflare audeat; metus enim puerilis est, supernaturalisque quies ea anxietate nec augetur nec imminuitur.

Adnotat etiam animam interdum pacatissima quiete frui et cogitationem velut amentem vagari. Ubi docet eam evagationem impune ferendam et pro nihilo ducendam; si enim anima velit adniti ad eam coërcendam, incassum angitur et ipsa bonum, quo fruebatur, amittit. Voluntas enim tunc erga Deum se habet ac infantulus, in cuius os mater e papillis lac instillat, quod ille levi palati linguaeque motu glutit, unde si alio vertatur, suctus lactis procul dubio cessat. Gustus quietis huius in centro inest voluntatis, et universi mundi principatus non ita cor impleret. Quin potius cutaneus esset plane gustus, si cum intima quietis huius voluptate conferretur.

Sed postquam ebrietatem in contemplationis quiete provenientem exposuimus, aequum est, ut ad cursum raptuum, quorum sensus in viribus inferioribus praesertim inest, revertamur.

Raptus igitur alius in hunc modum animae solet evenire. Suavissimus nimirum Deus videtur cor allicere trahereque mulcendo ad altiorem quendam et puriorem quam in duobus recensitis raptibus amoris amplexum in cordis unione iucundissima. Et sicut ibi cognitio subtilior, ita et affectio no-

bilior viget, quae non haeret voluptati, sed optat omnia Dei dona praeterire ac in nudis Dei brachiis requiescere.

Ubi prae magnitudine voluptatis cor dilatatur et portis patefactis quasi dehiscit. Et licet amor boni non sit passio laesionem inserens, ex intensione tamen corpus laedit et sauciat. Unde cor in expansione illa laesionem patitur, sed non maestitiam. Est enim dulcissima passio, qua cor affici concupiscit. Adeo tamen laesio haec solet ingravescere, ut mortem felicissimam inferat. Invalescit enim amoris impetus, et cor prae Dei desiderio adeo angitur, ut passioni succumbat. Quod faustae mortis genus beatissima Virgo — ut nonnulli censent — tulisse videtur; quin et beata mater Teresia id nacta videtur, quemadmodum ipsa post obitum ostendit.

Similis certe obitus ei, quo interiit quidam miles, qui, postquam terrae sanctae loca multa perlustravit, in locum denique insignem ob Christi memoriam ascendens tanto amoris igne conflagravit et tam subtili cordis laesione sauciatus fuit, ut animam efflaverit.

Clementissimus autem Dominus, cum sic animam amore satagentem conspicatur, crebro eam revisit atque ad amatoriam excitat unionem, ad quam sitiens anima seipsam cupidissime erigit. Et si quando eam non adipiscitur, exsistit defectio sive languor. Unde gignitur amoris impatientia, quae absque alio externo labore totum hominem extenuat et conficit nec umquam cogitatio inde divellitur. Erumpunt crebra suspiria fluuntque lacrimae, quae tantillum conferunt, ne sanitas adeo graviter laedatur.

Ut vero huius languoris sensus percipiatur, quem aliqui poenis inferni comparare solent, oportet, ut amoris effectus cursim recenseamus.

Inter primos amoris effectus unus et facile notissimus **ecstasis** est. Anima quippe amoris impetu acta extra se fertur in id, quod amat, semper exaestuans. Qui amoris excessus vel exitus ad id, quod affectat, ecstasis appellatur.

Cum vero anima extra se sic agitur, arcani quasi pori dehiscunt, ut per eos dilectum bonum velut inspirando trahat et alte recondat. Et hic est alius amoris effectus, qui vocatur **liquefactio.**

Anima deinde sic patens tota fertur in Deum illo explenda et divina illi unione socianda. Quod si pro voto contingat, dum Deus animam invisit, celebratur castissima spiritus creati cum increato coniunctio, qui est alius amoris effectus et appellatur **unio.**

Quia vero unio solum videtur significare contactum mysticumve duorum spirituum amplexum [1], sequitur inhaesio mutua, qua spiritus alter alterum sibi apprimit et astringit seque illi velut agglutinat. Qui amoris effectus **mutua inhaesio** nuncupatur.

Verum quia et ipsa inhaesio mutua observata corporum metaphora, cuti dumtaxat affigi nec ad intima penetrare videtur, subsequitur haustus quidam et quasi potus alterius spiritus alterum velut poris diductis attrahentis et ebibentis more spongiae recentisve panis aquamque sugentis. Et hic effectus vocatur **fruitio.**

In hunc igitur modum recensuimus amoris effectus, qui vigent, dum, quod amatur, bonum

[1] Phrases hae *amplectendi, tenendi, astringendi* familiares sunt theologiae mysticae, ut patet ex Ric. l. 4 de contempl. c. 15; ex Bonav. libro de septem donis Spiritus Sancti, ubi agit de dono sapientiae, c. 5, et aliis recentioribus, qui de theologia mystica postea scripserunt, ut habes apud Gersonem in consid. 2 mysticae theologiae speculativae. Ex hoc effectu liquet, quam gravis sit laesio cordis iam descripta.

praesens est, praeter ecstasim et liquefactionem, quae absente etiam bono invalescunt, licet praesente perficiantur.

Perficitur sane anima, amore *liquefacta*, dum illam Deus praesentissimus explet et illas velut intercapedines implet, quae fiunt, dum anima amoris igne rarescit; unde laxatur et hiat amplius Deum praesentem bibitura: esuries enim Dei vescendo, sitis bibendo perficitur.

Quapropter, si Deus absit, exardescit intensum illius desiderium, qui est alius amoris effectus et quaedam progressio animae affectuum pedibus incedentis et ad Deum properantis, qui quidam effectus amoris appellatur **fervor.**

At si, dum sic anima fervet ac properat, Deum minime invenit, contabescit ac tristitia obtenebratur ob illius absentiam; qui est alius amoris effectus, qui nuncupatur **languor.** Gravissima certe passio, quae non mirum, si corpus interimat, quemadmodum paulo superius asseruimus.

Sed et **zelus** effectus amoris vulgatissimus est, sive absit sive adsit bonum vel pulchrum, quod amatur. Et est quaedam igniti amoris excandescentia, quae consortes ferre nequit, a qua Deus ipse, qui cordis nostri consortes sustinere non valet, zelotes vel aemulus appellatur. Zelus autem noster erga Deum adversa via videtur incedere. Nam qui zelo Dei flagrat, divini cordis consortes universos vellet homines habere. Cuius certe discriminis ea ratio est, quod nullum timeatur alienationis periculum, si Deus omnes amet creaturas, cum nihil inde unicuique depereat, sed totum quisque Dei cor possideat, ac si solus amaretur, quod non ita fit in creaturis. Ad raptum ergo ab recensitorum amoris effectuum diverticulo redeamus!

Raptus profecto hic ultimus — quem descripsimus —, ubi cor tantopere sauciatur atque dehiscit, videtur esse quaedam proxima ad perfectam unionem dispositio. Ad unionem quippe ineundam hiat anima, quando sic aperitur et quasi Deum haustura laxatur et impos voti patitur mala, quae diximus; compos vero fruitur perfectae unionis bonis, quae subiciemus.

Perfecta vero unio *est, quando tres intellectuales potentiae divino amplexu Deo sociantur.* Quod ut planius intelligatur, more theologorum mysticorum prae oculis habenda est sectio animae in partem infimam, cuius raptus hucusque depinximus, et partem mediam, tribus potentiis — memoria, intellectu ac voluntate — constantem, et partem supremam, quae est ipsa essentia animae, a qua illae originem ducunt, quam Deus per divinam gratiam ibi repositam inhabitat et caelesti dignitate nobilitat.

Postquam ergo infimae partis raptus percurrimus, ad mediam ope divina implorata propinquemus! Et primum animadvertendum est hanc partem a theologis spiritum appellari. Unde qui ea recte funguntur, spirituales nuncupantur. Quod sic accipiendum est, ut sint spirituales, si memoria, intellectu ac voluntate iuxta divinas regulas utantur. Anima enim ad eum modum tribus iis potentiis utens spiritus appellatur, spiritus vero nomen essentiam potentiasque complectitur. Verum si anima neglectis iis regulis divinis, quibus partes suas omnes moderari debet, degeneret nec eas tres potentias comprimat, sed inferiori appetitui servire cogat, non spiritus, sed anima dumtaxat appellatur, ac si animae beluarum modo nil aliud boni agat quam corpus vegetare atque nutrire. Et qui

anima sic abutuntur, animales iure vocantur, qui — ut Apostolus ait — ea, quae sunt spiritus Dei, minime percipiunt. Ac sermo Dei, vivus et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingit usque ad divisionem miram animae ac spiritus. Saepe enim anima, quae ante corpori tantum animando atque fovendo tota incumbebat, divinorum verborum ense interfecta, ab ea animali cura divertitur et divinis rebus vehementer addicitur. Et cum sic neglecto corpore et iis, quae appetitus affectat, in Deum perseveranter aspirat, eo solet attolli, ut unus spiritus cum Deo fiat ob excelsam et intimam trium potentiarum unionem; tanto certe iis, quas hucusque descripsimus nobiliorem, quanto sol stellis est clarior vel aurum terra nobilius. Quamobrem de raptu, quo spiritus noster Deo perfecte unitur, tamquam de bono ineffabili auctores pauca tradidere et nos propterea parcius loqui consentaneum erit, cum nec illorum doctrinam caelitus infusam neque cordis puritatem aequemus.

Raptus igitur ille sublimis, quo anima ad felicissimam unionem effertur ita, ut adhaereat Deo ac unus spiritus cum eo fiat, plane divinus est ac omnem superat eloquentiam, sed picto vel rectius adumbrato potentiarum bono, ad quod eo raptu evehuntur, eius nobilitas ex parte dignoscetur.

Memoria ergo per influxum divinum et conversionem ad Deum fit tranquilla, clara et serena. Tollitur enim supra omnia sensibilia et imaginaria, quemadmodum si quis ultra nubes elatus sudum semper caelum intueretur. Et in eo felici statu memoria fit adeo constans et stabilis, ut nihil eius serenitatem interturbet; unde fit, ut rerum creatarum vix possit meminisse. *Intellectus* naturae divinae, attributorum, personarum ac proprietatum

divinarum in imaginibus intellectualibus clarissimum acquirit lumen, quo mirifice suspenditur. Sed obstupescit potissimum ob liberalissimam communicationem divinitatis seipsam dono suo effundentis. Unde ingenua et sane grandis fiducia generatur, qua cor erigitur, ut cum Deo familiariter agat. Gignitur etiam lumine divinitus infuso insignis perspicacitas ad penitissima Scripturae Sacrae sensa et divinae sapientiae arcana penetranda. *Voluntas* autem amore ardentissimo flagrat et quasi consumitur et amore tranquillo, puro et more purissimi olei excocto, Deo perfruitur. Viget quippe ibi duplex amor: fruens sc., qui tranquille Deo haeret, et practicus, quo voluntas, ut Deo arctius adhaereat, a Spiritu Sancto motibus multis tantopere excitatur, ut inter amorem utrumque duellum suavissimum geratur, dum practicus urget ad fruendum et fruens producit impulsum. Quapropter amor hic appellatur superfervidus [1], quia — more olei ebullientis — propellit ac proicit se super se.

Unionem hanc satis a nobis leviter adumbratam, sed in se certe ineffabilem, beata mater Teresia **orationem unionis** appellasse videtur. Tres enim eae potentiae uniri debent nec minor unio satis erit, ut iuxta eius doctrinam oratio unionis nuncupetur, tametsi in aliis orationis gradibus non ita nobilibus unio ex parte fiat. Et quia oratio quietis, quam in hoc capite descripsimus, ob excelsam contemplationem huic orationi unionis finitima esse videtur, subtili discrimine alteram ab altera secernit. Ait enim in oratione quietis animam tamquam

[1] S. Bonaventura [de itineribus aeternitatis] in quarto itinere inter quinque gradus seu proprietates amoris ponit *superfervidum* ex S. Dionysio Areopagita et eius interpretibus.

motu palati ac linguae quasi Dei lac exsugere petita videlicet translatione ab externo suctu lactis: At in oratione unionis animam, ne motu illo tam levi ad lac sugendum et glutiendum indigere; omnia enim ea bona, quibus fruitur, sine conatu suo in se condita fuisse conspicit et ignorat, quo pacto in ea sic ignara Deus illa bona reposuerit. Qua opportunissima distinctione aperte demonstrat altiorem esse Dei actionem in animam, cum in unionis oratione, quam cum in quiete illi coniungitur; utpote cui nihil propemodum humanae operationis admisceatur. Hoc enim sibi vult, cum ait, ne motu quidem illo palati ad glutiendum lac indigere.

Sed supremus omnium raptuum is esse videtur, quo ad essentiam animae, in quam ineffabili modo per gratiam Deus illabitur, tres potentiae divinius quam in proximo raptu iam descripto affectae convocantur et reflectuntur, ut intellectus agnoscat voluntasque tangat suavissimum Deum tamquam verum Salomonem in eburneo solio residentem et cum desponsa sibi anima pacis constantissime foedera pangentem.

Fit autem hic raptus — quemadmodum, qui feliciter experti creduntur, tradidere — Deo animam tangente et efficacissimo tractu ad se arripiente. Quem profecto tractum sive **tactum** mox ut anima recipit, *vires omnes inferiores retrorsum impelluntur, et sensus ab operatione desistunt: intellectuales vero potentiae in sua nobilissima operatione collocantur.* Memoria ditatur influxu caelesti, intellectus clarescit sublimibus illustrationibus, voluntas eliquatur ardentissimis desideriis. Quin et anima tam divina vi stabilitur eo Dei tactu, ut voluptates divinas sine defectione valeat sustinere.

Verum altius evehitur anima tactu illo. Nam postquam, manum porrigente Deo et potentias ad perfectissimos actus suos permovente, anima excitata est, *tam celeri motu potentiae superiores actus suos exercent, ut ipsa incitata operatione deficere videantur.* Trahuntur enim introrsum in ipsam essentiam animae, in quam convertuntur a phantasmate minime praepeditae[1].

Nec enim intellectus in eo statu a phantasmate, quo potitur, praegravatur sive a notitia divinae veritatis retardatur, sed omnia corporea praetergressus reflectitur in essentiam more caelesti. Cum vero Deus ibi tamquam in pacatissima sua statione praesideat, fit quidam sive amplexus sive contactus animae cum eo, quo videtur anima liquescere ac in Deum tota prorsus influere. In illam nempe divinissimam stationem convocatae potentiae avidissimae feruntur et post incitatum cursum silentio miro quiescunt. Gradiuntur pariter intellectus et voluntas, sed intellectus nimio splendore a Deo, qui sedet in essentia emicante, perstringitur et velut excaecatur ac pro foribus illius thalami subsistit. Apex tamen affectus vel summitas voluntatis, amoris impetum prosequi cupiens progreditur et arctissime Deo sociatur ac denique quiescit. Illuc usque enim incitata operatio procurrerat. Est satis aperta similitudo, cum quis in mortis agone incitatis motibus trahit halitum, donec halitu postremo animum

[1] Notandum nonnullis theologis videri in sublimi contemplatione non esse usum phantasmatis, at S. Thomas (2, 2, q. 180, a. 5 in solutione ad 2) sic ait: «Ad secundum dicendum, quod contemplatio humana secundum statum praesentis vitae non potest esse absque phantasmatibus.» Et post pauca subicit: «Et hoc non solum in cognitione naturali, sed etiam in iis, quae per revelationem cognoscimus» etc.

efflat. Sic quippe post multos motus anagogicos in Dei ibi exsistentis amplexu anima videtur quasi mori, ut in Deum transformata felicius vivat. Quamvis vero haec introductio nobilissima sit, oportet tamen, dum frequenter accidit, quandoque illam intermittere — si forte per aliquem animae conatum fieri possit —, ne anima in ea suavissima contemplationis quiete deses fiat et virtutum actus multiplices negligat exercere. Quin vero universim animadvertendum est plures animas, postquam ad contemplationem evectae sunt, velle semper in ea requiescere, cum intellectus iners fieri videatur ad meditationem repetendam.

Cuius ratio est, ut beata mater Teresia tradit, quia meditatio est inquisitio, contemplatio vero inventio, qua praesente cessat inquirendi ratio, ac ideo mirum non est intellectum aegre ad meditationem redire. Verum oportet hunc torporem interdum excutere ac meditatione repetita quasi flatu quodam amoris ignem excitare nec semper contemplationem caelitus elapsam velle gratis obtinere. Ob id consulit, ut ii, qui ad orationem quietis — quam superius descripsimus — pervenerunt et illis internis gustibus absorpti iacent, excutiant eum soporem et evigilent ad intuenda Christi et sanctorum exempla, ut se comparent ad labores eventuros.

At vero ad felicem illam animae quasi mortem regredientes adnotemus oportet potentias illas duas, sic evectas coram divina claritate, quae a Deo in animae centro vel — ut theologi mystici aiunt — fundo quiescente dissultat, miro modo affici, quemadmodum et ipsa afficitur anima, quae more ferri candentis propria forma non amissa, sed a praesente Deo traiecta et intensa se Dei genus

esse facile demonstrat, sicut et ferrum, dum candet, mirifice ignem repraesentat et illius proprietatibus pollet. Proportione vero servata in eum etiam modum intellectus et voluntas afficiuntur. Quae certe potentiae in centrum vel fundum animae vocatae — licet voluntas propius accedat — introducuntur in quandam vastissimam quasi divinitatis solitudinem, ubi voluntas Deum ineffabili sensu percipit et intellectus amissa omni rerum distinctione ac varietate universisque etiam nobilissimis imaginibus superatis Deum sapientissime ignorans — nec enim illum intuetur ut in patria — divinitus agnoscit. Excelsum sane ignorationis genus, illa videlicet irrationalis et amens sapientia, a S. Dionysio Areopagita tantopere celebrata, non sane quod rationi vel menti renitatur, sed quod eam longe supergrediatur et arcano valde modo comparetur. Intellectus quippe nec Deum in propria divina natura cernit nec vero in imaginibus, quae in aliis contemplationis gradibus non adeo nobilibus concipiuntur, speculatur, sed in quandam velut caliginem immersus ac Deo circumfusus serenissima et tranquillissima quadam notitia nesciens, quid sit Deus, agnoscit procul dubio illum tunc sibi in nebula praesentissimum diviniore quodam modo, qui omnibus modis aliis notitiisve, quae de illo vel scribuntur vel concipiuntur, immenso certe spatio ac magnitudine antecellit. In hac certe caligine vel nebula vel tenebris — ut olim Moysi in montis vertice contigit — clarius a purgatissimo iam intellectu cognoscitur, quam vel exprimi vel sine experimento cogitari possit. Quae certe cognitio una cum suavissimo Dei gustu, quem voluntas percipit, theologia mystica est, licet multis auctoribus intellectu obturato solius voluntatis di-

vina patientis et Spiritus Sancti tactu vel sensu fruentis affectio theologia mystica esse videatur, ut capite proximo liquebit.

Verum hic magnopere expendendus est ille transformationis modus sive ille modus adeo arcanus silendi ac defungendi, quem potentiis ad animae centrum introductis evenire asseruimus; si enim silentium illud est quoddam quasi deliquium ita, ut nec intellectus nec voluntas operentur, sed dulcissimam tantummodo sustineant Dei operationem, qui fieri potest, ut intellectus sine actu cognoscat, voluntas sine actu pariter amet? Erunt, qui asseverent intellectum ac voluntatem sine actibus, quos in scholis elicitos appellamus, in sublimissimo theologiae mysticae fastigio bene affici, sicut nonnullis visum est sentire esse quoddam pati. Nos tamen hunc modum veriore sententia solvemus asserendo non prorsus deficere potentiarum actus in ea caligine divina, sed esse actus adeo tranquillos ac suaves, ut cum aliis incitatis actibus, quos paulo ante eae potentiae proferebant, comparati eandem proportionem habere videantur, quam elatus sermo habet cum voce valde submissa. Qua si quis utatur, iuxta coenobiticam disciplinam silentium dicitur observare.

Quae sane responsio captu facilis est. Praesens quippe tunc Deus et animae amantissime blandiens tam caelesti suavitate eam ad intelligendum et amandum permovet, ut ipsa non se agere, sed suavissime duci et quasi erumpentes ultro a potentiis actus non tam producere quam pati videatur. Et haec fortasse est illa insignium heroum passio, quam Hierotheus sustinebat, qui doctus fuisse asseritur non solum discens sive sciens,

verum et patiens divina. Et iuxta hunc dicendi modum responderi debet eas potentias divinam caliginem ingressas non ita silere, ut nihil omnino agant, sed intellectum altissima et tranquillissima contemplatione, voluntatem suavissima fruitione pasci. At haec in unione mystica tam sedate tranquilleque fieri, ut potentiae silere, h. e. tam suavi Dei intus agentis actione cieri videantur, ac si prorsus nihil agerent, sed ab alio productos actus tantummodo reciperent.

Raptum ergo supremum sic adumbrasse sufficiat; nec enim tanta sublimitas satis exprimi ullo verborum excursu valebit. Et raptus hic raptum praecedentem, quem orationem unionis a beata matre Teresia appellari censuimus, dignitate non modica superat, ut ex dictis patere potest. Ac ob id significanter eadem beata mater raptum ab unione diremit aiens in unione mutuam fidem verbis promitti, in raptu vero *coniugium spirituale* celebrari. Et praeter alios unum describit raptum, quem *volatum spiritus* appellat: quando videlicet motu repentino ac vehementissime celeri spiritus corripitur et interdum etiam corpus, ut magnum principio timorem incutiat. Tremendum quippe portentum videtur hominem vigilantem et sanum et nescientem, quo nec a quo feratur, celerrimo quodam modo abripi. Sub initium enim non usque adeo ei certum videtur se a Deo agi, ac proinde opus est, ut generose in Dei beneplacitum seipsum dedat et ob amorem Dei cuiusvis periculo constanter exponat. Sed ad verborum S. Dionysii de mystica theologia, quae supremi raptus propria esse videtur, interpretamentum accedamus!

Caput VII.

De interpretatione libri S. Dionysii Areopagitae de mystica theologia.

Postquam de suprema illa Dei unione, qua intellectus et voluntas divina patiuntur, et quae omnium propriissime mystica theologia esse videtur, in capite proximo disseruimus, aequum est, interpretationem quandam paraphrasticam libri de hac sublimi sapientia, quem ad Timotheum S. Dionysius Areopagita direxit, subiciamus et indagemus, an auctor mysticam theologiam in voluntate tantum, an in intellectu simul et voluntate constituerit.

Liber ille, quinque capitibus discretus, arcanus et plane caelestis est. Cuius si totam seriem quis attente perlustret, praeter exhortationem Timothei ad mysticam sapientiam, quam primo capite praefatur, discursumque capitis secundi, quo Deum per creaturarum ablationem docet mystice cognosci et quandam theologiae divisionem, quadrimembrem tertio capite descriptam, assertionesque quarti et quinti capitis, quibus Deum ultra omnia, quae sensu intellectuve concipiuntur esse profitetur, unum tantummodo reperiet assertum, aliquoties primo capite repetitum, quo totus Dionysii sensus totaque mystica theologia continetur, quod modo subteximus.

Ex versione Ambrosii Florentini, abbatis generalis Ordinis Camaldulensis.

Haec sunt postrema primi capitis verba, quae subiecit Dionysius post allatam historiam, mystico cuivis theologo apprime quadrantem, Moyses, qui mundatus et a turbis segregatus subiit montem Deum in nebula percepturus.

Textus S. Dionysii:

Tunc vero ipsa quoque visibilia atque intellectualia contemplator linquens ingreditur ignorationis mysticam profecto caliginem. In qua omnia scientiae et cognitionis praesidia terminans totus in eo sit, qui tactum penitus visumque refugit transcenditque omnia et, qui nullius est neque suimet neque alterius, penitus autem ignoto scientiae omnis et cognitionis vacatione praestantiore modo coniunctus.

Paraphrasis:

Tunc quando contemplator ad mysticam Dei cognitionem aspirat, creaturarum omnium tum corporearum tum incorporearum imagines relinquens secretam quandam in nebulam abdit se, ubi mira est ignoratio. Ibi enim ommittit omnia scientiae cognitionisque adminicula, h. e. simulacra, quibus hominis innititur cognitio.

Iamque omni obstaculo expeditus totus per voluntatem sive affectum fit, h. e. transformatur in eum, qui tangi viderique nequit a viatoribus et qui, cum sit Dominus universorum nec seipso altior esse queat, nullius est, ne sui quidem ipsius.

Modus autem transformationis hic est, ut Deo, penitus per assertiones ignoto, scientiae omnis et cognitionis assertricis vacatione praestantiore modo, i. e. per ablationem seu negationem cognoscens affectu intimo coniungatur.

Et eo quoque ipso, quod nihil cognoscit, supra sensum mentemque cognoscens.

Et eo ipso, quod nihil asserendo, sed omnes positiones auferendo cognoscit, altius multo Deum supra sensum mentemque, h. e. mentis conceptum assertivum cognoscit.

Ascensum voluntatis in Deum — ut opinamur — contemplatio comitatur ac proinde voluntatem Deo haerentem, intellectum vero rerum omnium ablatione in arcana illa caligine sapientissima ignoratione cognoscentem ac stupentem hac prima interpretatione constituimus.

Sensus autem noster non est omnium imaginum abrasione Deum in se ipso hoc in exsilio cerni, sed post erasa universa creaturarum spectra Deum non modo voluntate, sed et intellectu percipi, non sane per propriam speciem, ut in patria caelesti, sed occultiore quodam modo, quo intelligitur, non quid sit, sed quid non sit Deus. Qui quidem cognoscendi modus ceteris omnibus, qui concipi possunt ab intellectu viatoris, longissime praestat. Ubi patet intellectum non prorsus vacare, sed actum producere, quo excelse intelligit arcana verba, quae non licet effari. Ac propterea eiusmodi actum curiosius perscrutari non audemus. Sed hunc esse proprium S. Dionysii sensum, ut sc. a theologia mystica intellectus actum non excludat, immo proprie includat una cum gravissima S. Thomae auctoritate sic evincimus. Septimo enim capite libri de divinis nominibus theologiam mysticam in haec verba describit:

(S. Dionysius.)

«Et est rursus divinissima Dei cognitio, quae est per ignorantiam cognita, secundum unitionem super

mentem, quando mens ab aliis omnibus recedens postea et seipsam dimittens unita est supersplendentibus radiis: Inde, et ibi non scrutabili profundo sapientiae, illuminata.»

Quae sane verba eundem sensum diserte continent cum iis, quae sumus interpretati, praeterquam quod Dionysius Carthusianus illa de theologia mystica exposuit.

At eadem verba S. Thomas sic explanavit: Rursus autem est alia perfectissima Dei cognitio, per remotionem sc., quod cognoscimus Deum per ignorantiam, per quandam unitionem ad divina supra naturam mentis. Quando sc. mens nostra recedens ab omnibus aliis et postea etiam dimittens seipsam unitur supersplendentibus radiis Deitatis, in quantum sc. cognoscit Deum esse non solum supra omnia, quae infra ipsam, sed etiam supra ipsam et supra omnia, quae ab ipsa comprehendi possunt. Et sic cognoscens Deum in tali statu cognitionis illuminatur ab ipsa profunditate divinae sapientiae, quam perscrutari non possumus. Quod enim intelligamus Deum esse supra omnia, non solum quae sunt, sed etiam quae apprehendere possumus, ex incomprehensibili profunditate divinae sapientiae provenit nobis. (Haec S. Thomas.)

Ubi nemo non videt scriptorem intellectus actum proprie ac saepius inculcasse ac proinde theologiae mysticae proprium esse existimasse. Hic enim — si secus censuisset — locus erat sententiae opportunissimus; quando quidem, quod ad sententiam propriam spectat, nihil toto libro de theologia mystica Dionysius asseruit, quod verbis nuper allatis libri de divinis nominibus non sit complexus ac propterea unam utrobique auctoris unius senten-

tiam uno sane modo S. Thomas explanasset, si libri praesentis commentarium edidisset.

At si ex aliorum scriptorum opinione ascensus ille mysticus voluntatis in Deum erectae sine omni prorsus intellectus actu astruatur, in hunc modum S. Dionysius debet exponi:

Tunc vero ipsa quoque visibilia atque intellectualia contemplator linquens ingreditur ingnorationis mysticam profecto caliginem. In qua omnia scientiae et cognitionis praesidia terminans totus in eo sit, qui tactum penitus visumque refugit transcenditque omnia et, qui nullius est neque suimet neque alterius, penitus autem ignoto scientiae omnis et cognitionis vacatione praestantiore modo coniunctus.

Tunc qui mystice Deum percepturus est, creaturarum omnium tum corporearum tum incorporearum imagines relinquens secretam quandam in nebulam abdit se, ubi mira est ignoratio. Ibi nempe amittit omnia scientiae cognitionisque adminicula, h. e. simulacra, quibus hominis innititur cognitio.

Iamque omni obstaculo expeditus totus per affectum transformatur in eum, qui tangi viderique nequit a viatoribus et qui, cum sit Dominus universorum nec seipso altior esse queat, nullius est, ne sui quidem ipsius.

Modus autem transformationis hic est, ut sine omni intellectus actu seu cognitione praestantiore modo, i. e. voluntate, penitus ignoto Deo coniungatur.

Et eo quoque ipso, quod nihil cognoscit, supra sensum mentemque cognoscens.	Et eo ipso, quod nihil prorsus cognoscit, altius multo supra sensum mentemque, h. e. intellectum Deum cognoscit, i. e. sola voluntate percipit.

His ergo dumtaxat verbis e libro illo excerptis ac expositis mystica theologia tota continetur, ut ei, qui pauca illa perceperit, alio fere non sit opus commentario.

Proderit autem non vulgariter utraque expositio ad pleraque S. Dionysii pronuntiata libris eiusdem intexta multaque tum Sacrae Scripturae tum sanctorum Patrum, qui de contemplatione ac divinis affectionibus scripsere, asserta intelligenda, quae viros alioquin satis eruditos, sed rerum divinarum parum consultos latere solent.

Verum ad visiones ac revelationes, quae in multiplici raptu ante descripto mysticaque theologia evenire solent, veniamus!

Caput VIII.

De visionibus et revelationibus.

Amicorum est communicare consilia, ut, quorum est cor unum et anima una, sit etiam una cogitatio; quapropter suavissimus Deus, postquam ad arctissimum spiritualis coniugii foedus, ubi e duobus cordibus concrescit unum, animam evexit, merito incerta et occulta sapientiae suae illi manifestat. In qua certe manifestatione duo potissimum libranda sunt: repraesentatio sc. rerum in intellectu vel imaginatione et iudicium intellectus de repraesentatis sibi rebus.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Repraesentatio ergo rerum fit per imagines, quas species appellamus, vel infusas a Deo vel alias acquisitas, sed ab ipso inversas, consertas atque dispositas, ut id apte repraesentent, quod ille revelare decrevit.

Iudicium vero intellectus repraesentata sibi arcana intelligentis fit per supernum lumen infusum et, tametsi repraesentatio nobilis sit, nobilius tamen est iudicium, quo perficitur completurque cognitio. Ac ita repraesentatio communis esse solet iis, qui divina secreta non introspiciunt, ut fuit Pharaoni et Nabuchodonosori; verum superni luminis infusio iis dumtaxat committitur, qui conscii sunt arcanorum.

Sed hic adnotare oportet erga varias repraesentationes varie animam affici. Quando enim quid repraesentatur per species sensibiles, ut manus, quae regi Baltassari apparuit, vel intelligibiles, ut Salomoni et Apostolis contigit, quibus scientia divinitus infusa est cum intellectuali lumine infuso, non est necessarium, ut a sensibus fiat abstractio vel alienatio. Tunc enim perfectum iudicium intellectus fit per conversionem ad sensibilia. At vero, cum revelatio fit per formas imaginarias, necesse est animam a sensibus alienari, ne phantasmatum interna apparitio referatur ad ea, quae extrinsecus sensu percipiuntur. Verum haec alienatio quandoque imperfecta est et, quae intrinsecus concipiuntur, ab externe perceptis non exacte discerni possunt.

Alienatio autem perfecta — ut imperfectam modo praetereamus, de qua idem asseri posset in nonnullis eventibus — fit vel per causam naturalem, ut per somnum, vel per supernaturalem, ut per contemplationis vehementiam, vel virtute divina rapiente, ut passim exempla demonstrant.

Animae igitur sic abstractae duplex visio evenire potest, imaginaria sc. ac intellectualis. Imaginaria, quae per phantasmata exprimit, quod ibi Deus tamquam per notas hieroglyphicas manifestat, plures habet gradus.

Primus est, cum per *signa vel imagines* veritas revelatur.

Secundus, cum non solum signa cernuntur, sed et verba audiuntur. Quae cum apertius quam imagines veritatem intelligibilem manifestent — qua in manifestatione consistit *visio sive revelatio* —, efficitur secundum hunc gradum esse primo nobiliorem.

Tertius vero et nobilissimus gradus est, cum quis percipit sentitve non solum signa verborum vel factorum, verum et intuetur personam loquentem vel quippiam ostendentem. Hoc enim ipso anima propinquior fieri videtur Deo revelanti.

Intellectualis autem visio, quae sc. sine imaginibus corporum intellectui res divinas ostendit, omni imaginaria visione longe praestantior est: illa nimirum, quae res supernaturales sive divinas manifestat. Nam quae, cum intellectualis sit, res tantummodo naturales ostendit, naturae secretis abstrusas, inferior est ea, quae, cum imaginaria sit, veritates tamen supernaturales patefacit.

Ratio vero, ob quam intellectualis revelatio est imaginaria excellentior, in promptu est; quia nimirum propinquior est visioni beatae, quae inter omnes praestantissima est. Et naturalis ratio suffragatur. Inter discipulos enim ille est perspicacioris ingenii et exactius perspicit veritatem, qui non eget corporeis similitudinibus, quae rudiores iuvant et ad nudam veritatem capiendam sensim introducunt.

Verum quia in secundo gradu visionis imaginariae verba audita reposuimus, impendio notandum est verba multifariam ab anima percipi solere, quemadmodum beata mater Teresia diserte docuit. Quaedam enim verba intrinsecus audiri adeo interdum, ut externis auribus insonare videantur, alia e centro animae, alia ex superiore illius portione prodire videntur.

His autem modis omnibus et Dei et daemonis et propriae etiam imaginationis opus esse possunt. Sed ad verba Dei internoscenda haec signa distinxit.

Primum et omnium verissimum est potestas et dominium loquentis, qui effatur simul et operatur, ex. gr., cum saevit interior afflictio, uno dumtaxat verbo, puta «ne timeas!» vel «confide!» aestus ille sedatur et anima remanet pacatissima atque tutissima.

Secundum signum: Quies animae impressa et intra seipsam collectio, devotio, pax et ad divinas laudes expeditio.

Tertium signum: Verba per longum tempus memoria non excidere et aliqua numquam.

Quartum signum: Securitas futuri exitus verborum, licet aliquae nutationes obrepant et adversitates ingruant.

At quia praeter enumeratos loquendi modos est alius altior et subtilior, beata mater Teresia illum expressius tradidit.

Hunc enim modum, quem a Deo esse certo illa sibi persuasit, cum aliqua intellectuali visione in animae intimo dicit accidere, ubi anima internis auribus Deum sibi videtur audire adeo secreto, ut ipse audiendi modus occultissimus et mirae visionis incidentis operationes certo persuadeant

daemonem illuc penetrare non valere; nec vero — de quo dubitare potuisset — imaginationis propriae figmentum esse, cuius rationes plures mirifice subiecit, tametsi noluerit — ut existimamus — rem ita definire, ut securitatem inexpugnabilem polliceretur.

Prima ratio: Sermonis claritas, quamvis alia verborum perspicuitate longe maior, et sententiae tenacitas. Ita enim integram sententiam intellectus concipit ac servat, ut singulorum verborum exacte meminerit, stilum sermonis notet et, an vel una syllaba desit, animadvertat. Quae secus in imaginatione contingunt.

Secunda ratio: Saepe nulla de iis praecesserat cogitatio et verba repente formata alicui cogitationi celerrime incidenti vel etiam cogitationi, ante id tempus habitae, respondent. Hoc autem non est imaginationis opus.

Tertia ratio: Haec verba aliunde procedentia velut aure percipiuntur. At imaginationis opus est quaedam propria compositio verborum, quae animus cupit audire.

Quarta ratio: Verbo saltem uno eius generis plurima lux oboritur intellectui ad multa capienda, quod non ita, cum opus proprium animae est.

Quinta quartae finitima: Simul cum verbis multa supra id, quod prae se illa ferunt, animae reteguntur.

Haec autem signa et rationes — cum eadem in alloquiis, quae in aliis revelationibus pericula et dubia subsint — conferent etiam ad revelationes internoscendas ac diiudicandas. Ad quem etiam finem communia a doctoribus tradita revelationum discernendarum signa subiciemus.

Primum signum: An verae omnino vel partim et Scripturae Sacrae et ecclesiasticae doctrinae conformes?

Secundum: An materia revelationum sit vana, curiosa vel quae sine revelatione sciri possit?

Tertium: Qui sint effectus, quos ex iis, qui a beata mater Teresia superius traditi sunt, metiri tutum erit.

Quartum multiplex: An persona polleat intellectu? Si laboret aliqua continua vel intercalcata laesione? Si melancholica, si amore vel odio vehemens vel etiam praeceps sit? Si iuvenis? Si recens in divino cultu? Si experta? Si proclivis ad vehementem imaginationem? Si bonis moribus, humilitate praesertim praedita? Si contra sit arrogans et prona ad sua bona propalanda? Si non rogata ea detegat, vel saltem leviter rogata? Si secreti cupida? Si suae sententiae tenax? Si contra sententiam doctorum consulentium credat revelationibus et exsequatur quippiam? Si nolit consulere alios erga ea, quae sibi credit fuisse revelata? Si curiose accedat ad orationem revelationum cupiditate? Si roget oretve Dominum, ut quippiam sibi revelet? Si vita, ornatu, conversatione ab aliis sui status differat? Si revelationes a peritis excussae probataeque fuerint? Si timore corripiatur vel afficiatur gaudio, mox ut ei quippiam incipit revelari? Bono quippe spiritu animam visitante initio solet timore corripi, mox tamen pacatur et gaudet; contra vero reprobo spiritu irruente. Et si quando principio exhilaratur, statim tenebrescit et obtunditur et ad studium verae virtutis fit inepta.

Haec omnia et plura, quae spiritus divinus suggeret, explorare ac trutinare oportebit, priusquam

iudicium feratur et implorato potissimum auxilio clementissimi Dei, circumstantiis et affectibus perpensis sententia dicenda est. Ipse autem Spiritus divinus submissis cordibus aderit, ne, dum ei placere student, in angeli satanae transfigurantis se imposturas incurrant.

Iam vero aequum erit, ut exercitium, quo in eam, quam tradidimus, sapientiam assurgendum est, praescribamus.

Caput IX.

De motibus anagogicis sive aspirationibus.

Mira sunt plane, quae de honestate ac voluptate mysticae theologiae tradita sunt, sed mirabilius aliquanto videtur ad tam insignem cum Deo familiaritatem facile brevique posse perveniri. Concors enim omnium, quos legerim, sententia est ad altissimam Dei cognitionem et sensum sive experimentum aspirationum exercitio ita animam erigi, ut si hoc angelicum exercitium miris laudibus celebratum, ceteris omnibus antepositum, frequenter plurimum proficiat. Habet enim tam egregiam vim exstimulandi et divinis flammis urendi, ut hoc unum idoneis circumstantiis saeptum et studio virtutum armatum ad summam christianae vitae perfectionem et puritatem corda nostra perducat. Quamvis enim dona Dei sint unio, raptus, fruitio, revelatio et illa indulgentissimi Dei interna blandimenta et solis conatibus nostris, quamtumvis nervosis, illa non producamus, at certe animae sese idonee ad eas nuptias ornanti et comparanti munificentius, quam cogitare valeat, indulgentur.

Ut ergo praxim huius exercitii tam salutaris tradamus, meminisse opus est doctrinam hanc non

omnibus congruere, ut superius coepimus indicare, sed iis, qui aliquamdiu in oratione mentali iam descripta passionibusque subiugandis et parandis virtutibus operam posuerunt et propter amorem Dei universa, quae ab eo cor avertunt, abicere decreverunt.

Ii ergo, sive Dei praesentiam imaginariam sive intellectualem mente versent atque pertractent — a qua numquam recedere conari debent —, simplicissimis, sed — quoad possunt — fervidis cordis motibus anagogicis, h. e. cor erigentibus aut sublevantibus, quas et aspirationes et iaculatorias orationes appellamus, cor impellere et creberrima iteratione sursum agere debent ita, ut modicam partem intellectui meditanti, maximam vero voluntati ad Deum se erigenti et multiplici affectu incalescenti tribuant; sive cum in abditum locum se recipiunt, sive cum in publicum prodeunt, sive cum vescuntur, sive cum colloquuntur sive denique cum quippiam aliud agunt, quo non prorsus mens occupetur. Cum enim non sit opus continuum, sed morulis discretum, omnibus fere actibus interseri potest, seu quis mente perspicax seu tardus ingenio sit, ut statim ex praxi liquebit.

Animadvertendum tamen est aspirationes has principio non ita facile ab omnibus produci, sed plerumque vi opus esse ad cor languidum erigendum.

At difficultas haec omnibus est exercitiis communis, difficultati vero facilitas suavitasque succedit, quae cordi laetitiam magnam conciliat. Quando vero praedicta viget difficultas — quin et universim quovis tempore — prudenter agendum est, ne sc. nimia corporis vi seu conatu natura laedatur. Temperato enim conatu, sed per-

severanti cor sensim erigitur et in dies singulos maiorem expeditionem et agilitatem usque ad suavissimum Dei experimentum acquirit. Sed haec est praxis hominibus, etiam agrestibus et simplicissimis captu facillima.

Clementissime Deus, quando diligam te? — Suavissime Deus cordis mei, utinam dilectionis brachiis amplecterer te! — O desideratissime rex, cupio transformari in te! — O dulcissima vita animae meae, utinam adhaereret anima mea post te! — Quid enim mihi est in caelo et a te quid volui super terram? — Utinam deficiat in te cor meum et caro mea, Deus cordis mei et pars mea, Deus, in aeternum!

Quando, Domine, solvetur glacies cordis mei? — Emitte, obsecro, Spiritum tuum, calidum et urentem, qui resolvat gelu meum et consumat animam meam! — O desideratissime rex, o pulcherrime sponse animae meae! «Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te.» [1] — Certe «sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea» [2]. Tu enim es requies cordis mei, solliciti et satagentis et ad optatissimam sibi voluptatem hiantis. — Cupit commoditatem, honorem quaerit, voluptatem affectat; tu vero, dulcissime Deus, commoditas mea es, honor meus et castissima voluptas fatigati cordis mei. Recordor dixisse te: «Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos.» [3] Propterea, fidelissime Domine, clamo ad te multis laboribus oneratus, ut me fessum visites atque soleris. — O sanitas mea, quam concupiscit anima mea, sine

[1] Ps 41, 2. [2] Ps 62, 2. [3] Mt 11, 28.

me attrahere te ut valeam, et arctissimo complexu te mihi sedulus astringam!

Frustra laboro, quamdiu te non quaero: Propterea quaesivi vultum tuum; vultum tuum, Domine, requiram. Credidi enim infinite perfectam esse pulchritudinem tuam, qua corda capis atque permulces, qua prospere procedis et regnas et ob id speciem tuam et decorem affectabo vultus tui. — O elegantissima forma, quando fruar te? Ne, obsecro, repellas me, suavissime Deus, ab unione tua et languentem spernas servum tuum! — Areo enim more terrae, quae desiderat imbrem. Effunde ergo, clementissime Deus, largam super me benedictionem de rore caeli et de pinguedine terrae! Terra, inquam, viventium, qui portantur torrente voluptatis tuae et satiantur ab ubertate domus tuae. — O clarissime ac speciosissime Deus, cuius desiderio languet anima mea! Unam petii a te et, tametsi repellas, hanc requiram, ut inhabitem in domo tua omnibus diebus vitae meae. — Utinam dirumperes caelos et ad me descenderes, ut durities mea liquefacta deflueret et amore tuo totus ignitus inenarrabilibus te gemitibus invocarem! — Desidero enim exorare te et cor tuum non meritis, quibus careo, sed clamoris improbitate mulcere. — O rex pacifice, cuius vultum desiderat universa terra, cui tributa reddunt reges universae terrae, in dies et horas singulas cupio tibi rependere tributum cordis mei. Suscipe illud, precor te, et repone in thesauris domus tuae! — Nonne tu apponis erga homines cor tuum ad hunc certe finem, Domine, ut cor hominum propinquum fiat cordi tuo? Ineamus ergo pactum huius propinquitatis, Deus meus, et commodabo tibi cor meum omnibus diebus vitae meae! — O Domine,

si exaudires votum meum et dares mihi sterili sexum virilem amoris tui, quem requiro, novacula non ascenderet super caput meum et praecordia mea consecrarem tibi. — Usquequo, Domine, silebis et sitientem animam extabescere patieris? Gravior enim mihi cruciatus est sine te vivere quam tecum mori.

Heu, quis mihi det, pulcherrime Fili Dei, ut ego moriar pro te? «Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est» [1] et cogor ibi vivere, unde mallem abesse, et a te abesse cogor, cum quo tantopere cupio permanere! — O dilectissime, cur siles et te non audire velut simulas? Ergo ne, cum ubique divinitate praesens sis, esurientem animam meam fame torqueri patieris, cum abundes panibus et illam sine iactura divitiarum tuarum enutrire ac saturare queas? — O rex et homo dives, qui fecisti coenam magnam [2] et invitasti multos et inter eos invitasti me; quid est hoc, quod nolentes rogare et volentes videris arcere? Numquid diligis eos, qui te oderunt, et odisti eos, qui diligunt te? Certe utrosque in finem dilexisti [3] et, cum adhuc inimici essemus, gratis pro nobis mortuus es. Quanto ergo magis nunc a te tibi reconciliati ab ira et odio tuo salvi erimus per te? — O castissime Fili Dei, huius reconciliationis ego fructum experiar! Decerno enim requiem non dare oculis meis et palpebris meis dormitationem, donec inveniam tibi locum [4], ubi quiescat anima tua.

Novi casta corda, et in mundi neglectu generosa, tibi requiem conciliare. Expurga ergo vetus

[1] Ps 119, 5. [2] Cf. Lc 14, 16. [3] Cf. Io 13, 1.
[4] Cf. Ps 131, 4 5.

fermentum [1] a corde meo et ingredere in requiem tuam tu, et arca sanctificationis tuae! — O pax, quae superas omnem sensum, seda procellas meas et statue illas in auram, in cuius sibilo audiris, tranquillissime et mitissime Deus animae meae: Ego tibi devoveo et nunc trado tibi cor meum, ut numquam illud mihi reddas, sed tu pro corde in me recondaris, ut motu et calore tuo vivam, o dulcissima vita animae meae!

Huiusmodi motus et variae in Deum aspirationes tantopere cor emolliunt et ardentissimis desideriis inflammant, ut vix credi possit, quam cito — ut experti docent — anima Dei sensum concipiat. Quod si adeo interdum langueat, ut eas aspirationes nequeat nisi aegre producere, aliqua pia meditatione utendum est, quoadusque cor meditando incalescat, et mox ad aspirationes redeundum. Quod si nec meditatione cor excitetur, non propterea est desistendum, sed sic difficulter agendo perseverandum est, donec probata fide victoria cor potiatur. Et in hunc modum mysticae theologiae finem imponimus et omnia, quae asseruimus, sanctae matris Ecclesiae Romanae iudicio subicimus.

Ad gloriam et laudem perennem Domini nostri Iesu Christi et purissimae Virginis Mariae.

---

[1] Cf. 1 Cor 5, 7.

OPUSCULUM II

VEN. P. IOANNIS A IESU MARIA

QUO MOTIVA EXPETENDAE VITAE AETERNAE ATQUE VIRTUTES AD EAM NECESSARIAE EXPONUNTUR QUOD

EPISTOLAM CHRISTI AD HOMINEM

AUCTOR INSCRIPSIT

Prologus.

Haec Domini nostri Iesu Christi ad hominem epistola aliud non est quam multarum veritatum ac rationum ipsiusmet Christi Domini in unum conglobatio; quarum quidem aliquae Sacra in Scriptura continentur, aliquae vero ipsis hominum cordibus per divinas inspirationes, quibus ad vitam aeternam obtinendam illos incitat, insculptae sunt. Christus ipse, qui doctrinae, quae hac epistola continetur, auctor est, hic loquens inducitur, ut hoc eodem pacto efficacius multo ac profundius lectorum animis — ut non raro fit — imprimatur, quod e longa multorum virorum spiritualium et gravium observantia et experientia perspectum est.

Haec porro epistola in duas dividitur partes; in eius prima primaria aliquot proponuntur motiva, quibus ad vitam aeternam ambiendam homo promoveatur; secunda vero praecipuae continentur virtutes, quarum ope et adminiculo ea queat comparari. Deum optimum maximum supplex oro, ut hic labor meus lectores ita permoveat, ut per eum ad regnum felicissimum vitamque beatissimam, quae finem nescit, sincere et ex animo expetendam inflammari incipiant.

PARS PRIMA.

DE PRIMARIIS ALIQUOT MOTIVIS, QUIBUS AD VITAM AETERNAM EXPETENDAM HOMO EXCITETUR.

Caput I.

De sollicitudine, qua ad vitam aeternam tendere homo debeat.

Aperi oculos cordis tui, carissime fili mi, et secreta excipe verba, quae ipse ex infinito quodam amore, ut iis te illuminem, accendam et ad salutis animae tuae rationem habendam excitem, tibi dico. Tempus ipsum breve est et transit veluti umbra adeo, ut non pauci christiani, qui acceptis a benignissima bonitate et misericordia mea beneficiis sunt ingrati, cum ad vitae finem iam venerint, de gravissimo aeternae salutis suae negotio nondum incepisse quidem tractare comperiantur. Suavissimas hi inspirationes meas, quibus loquor ad cor Ierusalem, ut eam excitem, consoler et corroborem, quo per viam vitae ambulet, audire nolunt et menses integros, immo et annos elabi et pertransire sinunt, ut ne semel quidem mei, qui ipsorum sum redemptor et unica redemptio, recordentur; mea etiam interdum consilia explodunt et tanta quidem cordis duritie et animi insensibilitate, ut servi mei, quorum mens illuminatior, non

parum, quando hoc attente considerant, obstupescant. Dixi carissimo discipulo et evangelistae meo Ioanni: *Ecce, venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua*[1]; interim tamen hi rident et vivunt perinde, ac si numquam ad tremendum illud ipse venturus essem iudicium ac me de inimicis meis vindicaturus.

Ingens haec caecitas est. Deberent profecto ingrati hi ex corde suo conteri ac paenitere et verae vitae ac salutis opera sedulo exsequi, in itinere suo sedulos viatores imitando; hi enim magnos faciunt passus vel etiam currunt et ne una hora quidem quiescunt, quo civitatem, quam petunt, ingrediantur, quod periculum sit, ne ab hoste intercipiantur et portae tempestive occludantur, antequam nocturnae eos tenebrae comprehendant et obruant. Nolunt hi viatores in diversoriis diu haerere et ne unam quidem atque alteram cum sapore buccellam comedunt, quod sollicite anxieque timeant, ne forte clausis civitatis portis foris manere cogantur, quam cum ingressi fuerint, et commodius habebuntur et lautius.

Confundi debes, fili mi, et erubescere, cum hanc mortalium diligentiam et sollicitam in rerum terrenarum acquisitione anxietatem intueris; non quidem ut animum tristior despondeas, sed aliquantulum festines, quo in civitatem Dei vivi et regionem illam opulentissimis consolationibus et gaudiis plenam, quam clementissimus Pater meus praeparavit diligentibus se seseque et omnibus viribus suis et conatu quaerentibus, ingrediaris.

Beati porro illi, qui solliciti in operando sunt et regni mei portas apertas inveniunt, uti dilecto

[1] Apc 22, 12.

meo discipulo iam olim statim post illa verba: *Ecce venio cito,* dixi: *Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni: ut sit potestas eorum in ligno vitae, et per portas intrent in civitatem* [1], quasi dicat: Beati, qui e sanguine sibi meo velut balneum constituunt, ut in eo sese a culpis suis abluant ac iustitia mea dealbent, ut hoc pacto queant de ligno vitae comedere et per portas in civitatem Dei ingrediantur; adeo, ut beati sint illi, qui ita hic se gerunt et operantur, ut in civitatem meam per illas intrare queant portas, quae non multo post occludentur, eo quod ipse statim venturus sim ad mundum iudicandum.

Quocirca consultum fuerit, carissime fili, rerum terrenarum te onus et sarcinam ex humeris abicere teque caelestibus affectibus ac desideriis allevare, ut quam velocissime ad patriam tuam curras; haec enim velocitas adeo tibi utilis et quaestuosa est, ut ob nullum terrenarum commodum ea tibi sit negligenda.

Iustus autem tam est de bonis operibus accumulandis sollicitus, ut illi semper defuturum videatur tempus ad operandum, uti significant illa a me dictata verba: *Consummatus in brevi explevit tempora multa* [2]. Etsi enim breves vitae illius fuerint dies, tanta tamen eis diligentia fuit, ut uno id ipse perfecerit die, quod alii ne multis quidem fecissent mensibus et quod, si in partes frustillatim divideretur, integris mensibus respondere posset. Et hac de causa soleo iuvenes nonnullos in flore aetatis constitutos ad aeternam requiem vocare; quod nimirum tam bene se hi in amore et timore meo exercuerunt, ut pauculis annis et

[1] Apc 22, 14. [2] Sap 4, 13.

uno interdum anno cum singulari quadam divinae gratiae meae commendatione tantum praestiterint, quantum maturiori aetati obsequio meo impensae sufficeret. Cuius rei multa in religiosis ordinibus, in quibus regularum viget observantia, videre exempla est, in quibus videlicet nonnullos electos meos post pauculos initae religionis mundi derelicti et pulcherrimi floris castitatis et corporis sui et animae mihi consecratae menses videre est emori. Longam hi et otiosam peccatorum, quos ipse patienter ad paenitentiam exspecto, vitam condemnant, uti in Sapientia scriptum est: *Condemnat iustus mortuus vivos impios, et iuventus celerius consummata longam vitam iusti* [1], quasi dicat, iuvenis iustus, qui exiguo spatio sollicite laborioseque operatus est, longam peccatoris coarguit vitam, qui diu quidem in eadem commoratur, de bene autem operando vivendoque parum sollicitus est.

Vide itaque, fili mi, ut iuste recteque vivas; sine peccatores facere, ut libuerit, tu ad me ex omnibus viribus et conatu tuo venire stude, et amplissimam ego tibi pro laboribus, quos mea auxiliante gratia et fidelissima custodia suscepisti, mercedem rependam.

Caput II.

De vitae aeternae pretio et existimatione.

Si vitam meam aeternam pro eo, ac oportet, fili mi, ponderare scires, haec tibi appretiatio existimatioque perpetuum quoddam esset calcar, quod et tibi somnum veternumque excuteret nec

[1] Sap 4, 16.

inertem segnemque te vitam agere pateretur, sed optabili quadam te excitaret violentia et ad veram requiem tuam te faceret currere.

Considera, quaeso, quid pro vita temporali mundani non faciant, atque hinc videbis, quantum te pro aeterna facere oporteat. Res sane adeo certa ac notoria est, ut nec ignorari queat nec negari. Ipsi namque mundani tanto vitae corporalis studio et amore tenentur, ut omnium aliorum bonorum temporalium iacturam ad eandem protegendam tuendamque facere non vereantur; vide enim, ut in naufragio avari mercatores, qui auro et lucro tamen animam postponunt, si quando in praesentissimo se vitae temporalis amittendae versari periculo conspiciunt, nisi navim mercibus pretiosis, quas inde usque ab extrema India convehunt, repletam exonerent, hos ipsos thesauros tantis laboribus comparatos in mare deicere grave non putent, ne suam forte vitam amittant. Pauperem, inopem multisque obnoxiam miseriis vitam exinde ducendam quis iis tunc proponat, eam tamen qualemcumque hos auro et gemmis pretiosis omnibusque terrae divitiis anteponere videbis.

Si itaque hoc illi facere non dubitant, ut infeliciter vivant, cur tu, carissime, veram, beatam et aeternam vitam meam pro eo, atque oportet, non aestimabis? Fierine potest, ut, cum divinae fidei lumine animam ego tuam illustrarim tuque ipse per certitudinis infallibilis revelationem inaestimabilem gloriae felicitatem credas, quae aeterna electorum vita est, de inculpate recteque vivendo nolis laborare neve de rebus tuis sollicitus fueris? Terrenorum affectuum et bonorum, fili mi, a te onus excute et sedulo solliciteque adlabora, ut in domo mea dives inveniaris! Memento divinorum

promissorum ac verborum meorum, quae et suavissima sunt et ad petras etiam durissimas emovendas efficacissima, ac serio tecum perpende, quid demum sit aeterna vita gaudere, et huiusmodi cogitationibus confortaberis, ut animose et fortiter ambules et serenissimam regis tui faciem conquiras. Ipse olim fidelissimo apostolo meo Paulo in raptu vitam aeternam, propter quam ipsum crearem, ostendi; tantus porro inde illi stupor et admiratio incessit, ut scriptum de se velut de alio quodam loquens ipse reliquerit: *Raptus est in paradisum, et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui*[1], quod tantundem est ac dicere didicisse se mysteria adeo divina et ineffabilia, ut nefas ea sit de ipsis loquendo inobscurare; constat namque verba sat digna et iis explicandis paria dari nulla posse, ut non modica aeternorum bonorum dignitati irrogari videatur iniuria, cum tam insufficienter de iisdem quis loquitur. Dic mihi, carissime fili, quid non tibi in anima operari debere videtur viriditatis illius et aeternae amoenitatis paradisi voluptatum ac deliciarum memoria? Quid non flumen illud aquae vivae, quod laetificat civitatem Dei? Qualem nobilissima illa electorum gloria coronatorum et immortalitate amictorum societas in animo producere tuo existimationem? Quos non affectus in anima tua excitare continua illa coram me praesentia, ut simul certus sis te sine fine domus meae dulcedine et consolatione fruiturum? Quibus putas, carissime, oculis te Pater meus aeternus intuebitur, ubi te mihi configuratum ac redemptionis et abundantissimae gratiae meae participem factum conspiciet? Quanam cor

[1] 2 Cor 12, 4.

tuum consolatione perfundetur, quando te ceu mortis et inferni domitorem mearumque victoriarum participem celebrari et depraedicari videbis? Quid etiam gaudii senties, quando ad verae et immortalis vitae arborem manus poteris extendere et hunc deliciarum divinarum fructum carpendo mecum coenabis, simul cum rege tuo mensae accumbendo deque regio eius cibo gustando? Ecqui denique purissimi amoris ardores tua, sine ulla tamen laesione, viscera tunc adurent et consument, ubi te a summo videbis bono amari et in caritatis eius incendio perpetuo victurum? Haec tibi considerandа sunt, ut vitam aeternam, propter quam creatus es, pro dignitate aestimes, ut hac nimirum magnificatione ac dignitate exstimulante mundi figuram ac vanitatem contemnas atque ad laborem pro beatissimi regni mei coronae acquisitione suscipiendum animeris.

Caput III.

De iis, quae fecerunt sancti, ut ad vitam aeternam pertingerent.

Perpende adhuc, fili mi, quid sancti mei, quo vitam aeternam acquirerent, fecerint. Et quamvis nonnisi modicam in anima tua lucem habueris, nihilominus dices plane confiteri te debere culpa te non vacare, quod tam lente ac segniter in ea progrediaris, cum tantae tamque ingentis sapientiae viri tantopere in via vitae festinent. Revolve historias sanctorum, et res plane videbis admirabiles easque a prudentia mundana et erroribus filiorum huius saeculi quam maxime alienas.

Quis tales umquam ad bonorum terrenorum acquisitionem adinventiones in mundanorum aliquo vidit, qualem fidelissimus servus meus Alexius Romanus, temporalis prosperitatis et deliciarum in nuptiis humanis sitarum contemptor egregius, olim adhibuit, utpote qui, sponsam deserens adhuc intactam, in summa inopia eaque spontanea per orbem peregrinari non dubitavit ac deinde paternas ad res revertens tanto tempore ignotus delituit mirabili quadam et inaudita arte mundo insultando. — Quis ex omnibus saeculi amatoribus tot tantaque umquam, ut votorum suorum desideriorumque compos redderetur, praestitit ac dilectissimus ille famulus meus Alexander, Carbonarius cognomento, singulari quadam vir praeditus sapientia, qui, ut a mundo exsibilaretur, carbonibus conficiendis operam navabat et vili in schemate ac sordibus in foro apparere et conspici gaudebat, ut maiore ditissimum hoc pacto gratiae meae thesaurum conservaret securitate, vitam sibi aeternam propter hunc mundi contemptum certissimo dandam sperans? — Quis regum terrenorum adeo umquam liberalis exstitit, ut se miseri mancipii redimendi ergo in servum venderet, uti Paulinum, episcopum Nolanum, dilectissimum servum meum et negotiosum vitae aeternae mercatorem fecisse constat? — Memento, fili mi, eorum, quorum apostolus meus ad Hebraeos ea, quae illi inspiravi, scribens catalogum texit; cum enim nominatim de plurimis ferventissimis servis meis tractasset, tandem in epiphonema subiungit: *Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, af-*

flicti; quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus et speluncis, et cavernis terrae [1]. Haec electorum meorum quaedam enumeratio est; qui cum suos in aeternam remunerationem oculos conicerent, ad eam per enses, opprobria, martyria variis excogitatis ab impiis cruciatibus transire voluerunt, ingentem se, tametsi ad ungulas et dentes leonum ac fornaces igneas damnarentur, quaestum facturos rati; tanti vitam temporalem non facientes, ut vitae perpetuae detrimentum eius de causa vellent facere, uti idemmet apostolus meus ante verba illa superius allegata, de quadam martyrum specie hoc modo loquens dixit: *Non suscipientes redemptionem, ut meliorem invenirent resurrectionem* [2], corporum scilicet.

Mundus, si quem servorum meorum sollicitum videt, ut bene operetur, ut sese mortificet, ut imitatione mei quid patiatur, quoddam videre se credit mancipium ergastulo et catenis mancipatum eique velut commiserans vitae huius commoda et honores ceu quandam redemptionis et liberationis a durissima servitute speciem promittit. Sed qui veram redemptionem ac lytrum, quod in resurrectionis statu habebunt — quando nimirum omnes vitae praesentis poenae cessabunt —, ex aequo ponderare et aestimare norunt, mundanas has redemptiones repudiant et ad firmam immortalitatis et aeterni refrigerii, quod ipsis promissum est, spem solum respiciunt.

Da operam, fili mi, ut de beato hoc servorum meorum numero sis; et considera serio, quid hi et egerint et passi sint, quo ad civitatem meam

---

[1] Hebr 11, 36—38. [2] Ib. V. 35.

pertingerent, in qua sine fine regnabunt! Ego tibi hic auxiliator et dux futurus sum nec non fidissimus custos neve te umquam deseram, si modo divinae legi et occultis inspirationibus meis exacte obtemperes.

Caput IV.

De bonorum terrenorum vanitate.

Terrena gloria et consolatio adeo vana est et in promissis suis adeo fallax, fili mi, ut sufficere illae nugae, in quibus mundani spem collocant, debeant, ut servi mei rebus omnibus temporalibus despectis noctu et interdiu ad aeternas aspirent, quemadmodum amicus meus David faciebat, cum diceret: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus* [1].

Erat ipse quidem rex et honoribus, opibus, commoditatibus atque adeo re omni, quae in terra desiderari posset, affluebat; sed cum bonorum horum vanitatem, quodque mortifera quadam falsitate foris ostendunt, quod revera non sunt, intime perspectum haberet, animum adeo iis non affigebat, ut eadem ceu lutum vilissimum despiceret et ad me, qui verum, genuinum ac supremum bonum eius eram, suspiraret. Et sane si rex talis ita faciebat, maiore multo tum ratione ea, quae possides, contemnere ac parvi facere debes, ut quae ipso etiam mundo iudicante et revera cum regis alicuius divitiis et deliciis conferenda non sunt.

Sed dato tam te quam alios mortales omnes regi illi Hierosolymitano potentia ac prosperitate

[1] Ps 41, 2.

temporali pares esse, ideo tamen contemnere etiam haec ipsa debes, quod ex se vilia et contemptibilia ea sint, si cum beatissimi electorum meorum regni felicitate comparentur. Dic mihi, fili, an non saepe fieri vidisti, ut, qui heri erat opulentissimus et magna rerum transitoriarum abundantia gloriabatur, hodie, quod ab alio quodam mendaci et impostore decipiatur, in extremam labatur inopiam et ignominiam, ut et solum prae metu et infamia vertere et noctu et interdiu lictores et apparitores eum fugere oporteat? An non vidisti multos, qui cum ante a mundo veluti adorarentur, quia apud principes gratia valerent, non multis post diebus eadem gratia levissima de causa excidisse et ipsos etiam imae plebeculae ludibrio et risui fuisse? Deliciarum mundanarum et carnalium vanitatem non considerasti, in quibus tamen peccatores adeo excaecantur et ob quas, priusquam moriantur, gravissimis doloribus et infernalibus conscientiae remorsibus divexantur?

Quam porro habere in bonis adeo fallacibus hi consolationem possunt, qui catholicae fidei veritatem credunt noruntque nullum extra me verum bonum esse! Mundi vanitas adeo quidem evidens est, ut nemo non eam confiteri debeat, non modo quod talem eam fidei veritas esse ostendat, verum etiam quod talem esse experientia constet, ut olim de ea manifeste Salomon hisce verbis testatus est: *Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vanitas vanitatum, et omnia vanitas*[1]. Ut ergo gravis huius sententiae intelligatur sensus, cum capite secundo singularem suam in auro argentoque colligendo, hortis conserendis, famulis congregandis, opibus

[1] Eccle 1, 2.

coacervandis, deliciis consectandis sollicitudinem commemorasset, paucis inde verbis omnia, quae in terris et pretiosa et amibilia sunt, complexus est dicens: *Et omnia, quae desideraverunt oculi mei, non negavi eis*[1]. Quod e sacra regum historia, in qua magni huius regis temporalis descripta felicitas est, facile intelligetur, cuius tamen desiderio universa terra nequaquam satis erat. *Cumque me convertissem ad universa opera, quae fecerunt manus meae, et ad labores, in quibus frustra sudaveram, vidi in omnibus vanitatem et afflictionem animi*[2].

Publica haec sapientis illius regis confessio sapientia mea dirigente et impellente idcirco scripta est, ut tu, carissime, mundi hinc intelligeres fallaciam meamque veritatem indagares. Intimam itaque boni essentiam attente considera et intuere tibique ab inani eiusdem specie imponi minime sinas; haec enim decipiet te. Divitiae siquidem, honores ac mundi deliciae hominem sapientiorem, fortiorem prudentioremve, quam ante sit, non reddunt, quin potius eundem depravant et in causa sunt, cur veram animi dignitatem, prudentiam et fortitudinem amittat. Quamobrem vana sunt huius mundi bona, quod per eadem verum bonum, quod animae hominis — quae mei, qui supremum eius bonum sum, capax est — proportionaliter respondet, minime acquiratur. Mundi igitur vanitatem sperne, fili mi, nec in bonis, quae te beatum reddere ac cor tuum satiare nequeunt, conquirendis tantopere te crucies; quin potius ad bona aeterna et caelestia, quae tibi praeparavi, mentem attolle, tuos ita affectus ordinando, ut iustitiam meam perpetuo

[1] Eccle 2, 10. [2] Ib. V. 11.

et esuriant et sitiant. Atque hoc pacto fiet, ut vera in societate electorum meorum, qui de Babylone fugiunt et ad carissimam patriam suam, Ierusalem caelestem, properant, satietate repleantur.

Caput V.

De bonorum interiorum animae excellentia.

Pretiosissimi haud dubie sunt thesauri, quos a divina gratia mea adiuti iusti in interiore animae suae reponunt et colligunt. Sunt hi desiderabiles super aurum et lapidem pretiosum multum, super honores, voluptates et vitam omnem temporalem multisque partibus et intervallis omnem mortalium aestimationem excedunt. Nullus in terra dari hortus deliciarum potest vel in maxima consitus culturae diligentia et arte, quamvis eum aquae limpidissimae rivi circumquaque intus et foris irrigent, quamvis vernantissimorum eum florum varietas et fructuum cohonestet — quales habuit paradisus ille voluptatis, quem in terra plantavi —, qui cum interioris divinae gratiae ac virtutum mearum paradisi pulchritudine et divitiis, quae omnem eloquentiam et intelligentiam hominum superant, queat comparari. Hoc in horto maxime et cordialiter me oblecto, unde eiusdem etiam evidentissime perspicere dignitatem potes et credere, fidem sc. adhibendo, cum tuus huc intellectus nequeat pertingere.

Verum quoniam rationes, quae in experientia fundatae sunt, intellectum hominum et voluntatem magis movent, roga, fili mi, servos meos, qui bonorum interiorum suavitatem degustaverunt, ut tibi dicant sincere, quid de ea sentiant! Utque efficacissimum formetur argumentum, dicant tibi

solum, quanti vel minima bona interiora faciant, atque inde facile de aliis bonis maioribus sublimioribusque formari coniectura poterit! Unum sane de minimis bonis meis interioribus est ipse rerum divinarum gustus, qui inferiore hominis parte ac portione sentiri solet. Quod quamvis inter reliqua spiritus et interiora bona divitiasque adeo exiguum sit, tantam tamen in servorum meorum animis impressionem et operationem ciet, ut, licet totius illis terrae imperium cum omnibus honoribus, divitiis et consolationibus eiusdem daretur, eodem tamen horum omnium intuitu carere ac privari nollent, quod omnia mundi magnalia et mirabilia cum hoc gustu meo collata ceu putiscens quidam menstruatae pannus videantur. Non pauci servi id ita sibi initio conversionis suae contingere ingenue fatebantur; quippe qui, cum servitio ac famulatui se meo primum dare incipiunt, suavissima quadam se violentia sentiunt attrahi meamque bonitatem ac misericordiam maximopere demirantur dicentes: *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te!*[1] Hic minimi cuiusdam boni, quod in sua anima servi mei sentiunt, sensus ponderatio atque existimatio est. Quod si ita se in minimis habet, quanti ergo maiora bona interiora facienda sunt, qualia sunt v. gr. vera et profunda cordis humilitas, sincera et fidelissima oboedientia, firmissima regni sempiterni spes ac purissimus Dei amor!

Beati vero illi, qui lumine meo ad illorum verborum: *Omnis gloria eius filiae regis,* i. e. animae, *ab intus*[2], sensum considerandum ac debite ponderandum rite utuntur! Haec namque anima

[1] Ps 30, 20. [2] Ps 44, 14.

deliciarum mearum locus est et veri Salomonis reclinatorium ex auro purissimo fabricatum. Vide igitur, fili mi, ne apparentia tantum bona permagni facias; quin potius affectu et fidei divinae oculis in interiorem iusti animam ingredere, quo ad illud decus, candorem, splendorem et suavissimam illam sponsae, quae ad thalamum in domo Patris mei illi a me praeparatum conducenda est, pulchritudinem diligendam pelliciaris, ac divinae gratiae adminiculo conitere, ut veris illis et caelestibus divitiis, quae sine fine duraturae sunt, locupletari merearis.

Caput VI.

Quanta eorum felicitas, qui orationis et communicationis cum Domino Deo studiosi sunt.

Beati illi, qui potissimam temporis partem orationi et communicationi mecum, qui unicum ipsorum sum bonum, impendunt; recipient siquidem impressiones divinas singularibusque quibusdam auxiliis ac privilegiis donabuntur ad expedite et celeriter progrediendum in via vitae.

Recordare, fili mi, quibus condecorari soleant privilegiis aulici ac proceres illi, qui in terrenorum principum conspectu ac praesentia assidue versantur; vide, quomodo hi plus reliquis honorentur, prae aliis illustriores, opulentiores et cariores sunt, tibique persuade multo esse maiores gratias ac favores, quibus fideles ego famulos meos, qui coram me assidue versantur, condecoro. Has enim animas divinae lucis splendoribus adimpleo, simul etiam robur iis et animum addo ad illustres quasdam spirituales victorias referendas; dulcissimae quoque caritatis igne easdem accendo et excellen-

tissimis gloriae, qua in aeternum donabuntur, meritis illas iuvo, ut velociter et festinanter pergant. Quin et ab oratione hilares, magnanimi, constantes redeunt et pulcherrimum quoddam Ecclesiae meae decus fiunt et lumen.

Hanc ob causam veteres illi sancti mei, etiamsi animarum curam haberent, vulgari et ordinaria quadam oratione et communicatione illa praesentiae meae, ad quam omnes functiones suas ecclesiasticas referebant, non contenti interdum in loca solitaria se abdebant, ut mecum et diutius et instantius maioreque ardore ore ad os loquerentur, hanc negotiationis et mercaturae divinae speciem permagni facientes. Memento ss. Hieronymi, Augustini, Martini Turonensis, Gregorii aliorumque amicorum meorum intimorum, et insatiabilem quandam in animabus illis sitim ad mecum in secreto, procul a mundano strepitu ac negotiis et rebus suis, conversandum perspicies.

Beatae vero illae religiones, in quibus ipsa legum viget observantia et quae orationis studio imprimis deditae sunt et in quibus iam inde ab initio ingressus discunt et assuescunt novitii continuo ad me suspirare, quae a caelesti rore tempore suo visitabuntur et a gratiae abundantia et liberalissima misericordia mea impinguabuntur!

Equidem magnam quandam vicissim in hominibus invenire velim reciprocationem ac correspondentiam cum iisque familiariter clementissimi Patris mei divitias illis communicando tractare; sed non aliter ipsi me fugiunt, ac si de morte iis inferenda tractarem, atque ideo suas hi consolationes quaerunt; at bonitas mea, ne sua illa ad bene faciendum inclinatione quodammodo defraudetur, se ipsam pauculis illis, qui conversionem et corre-

spondentiam suam amant et quaerunt, communicat eo liberalius. Hanc ob causam debes te, carissime, mihi consecrare et sancti exercitii orationis imprimis studiosus esse, numquam, ut taediosum tibi sit, vel grave mecum agere, quo non aliter dispositus et animatus fias ac propheta ille meus, qui dicebat: *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram*[1]. Faciem autem meam exquirendi modus est, si ex corde mihi communicare teque a rebus terrenis avocare et ad caelestes sustollere statuas cum caelestibus civibus assidue conversando, prout quidem possibile tibi in hoc vitae mortalis statu fuerit et in quantum carnis, quam gestas, pondus permiserit. Atque hoc modo vires tibi versus beatissimae requietis tuae patriam, in qua cum electis meis regnabis in aeternum, currendi comparabis.

Caput VII.

De bonae conscientiae quiete et gaudio.

Non possunt filii huius saeculi veram in laboribus suis, multo etiam minus in consolationibus suis pacem ac quietem conscientiae habere. Quod enim cor purum ac mundum non habeant et in operando ad bona aeterna non respiciant, hinc est, quod propriae conscientiae remorsum sentiant, quae anxia de ipsis expostulat et assidue voluptates, quas e bonis haurire transitoriis gestiunt, interturbat. Atque hinc est, quod misere vivant et ipsaemet voluptates illis in tormentum vertantur, nimirum ob interiorem illum cogitationum conflic-

[1] Ps 26, 8.

tum et continuos conscientiae remorsus, quemadmodum olim de gentilibus legem naturalem in corde suo scriptam habentibus loquens hisce verbis meus dixit apostolus: *Ostendunt* gentes *opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus*[1]. Si autem ita se res habet in corde gentilium, quid de christianorum cordibus dicendum, quibus ipse praeter naturalem Spiritus mei digito supernaturalem Novi Testamenti legem inscripsi, multo copiosius illos illuminando et certius obligando, ut ad Patris mei aeterni praescriptum et voluntati eius conformiter vivant? Certissimum est nullam hos pacem in conscientia sua habere posse, sed severum eos iudicem semper secum circumferre, qui perpetuis continuisque eos cruciatibus adiudicet.

Sed iustus, qui suos in bona caelestia oculos fixos habet et ad veram perpetuamque felicitatem sincere aspirat, maxima conscientiae tranquillitate gaudet; caret is namque conflictibus illis interioribus, aculeis et remorsibus, nec non placida filiorum Dei pace gaudet, quorum interiora semper tranquilla et pacata sunt, quod secundum legem meam vivant. Aperte id significavit atque in seipso expertus est amicus meus David ac posteritati scriptum reliquit dicens: *Pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum*[2]. Quod in multis servis meis videre est, qui etiam plurimas inter tribulationes et contumelias mirabilem quandam in animo serenitatem praeferunt et de exteriore illo mundanorum tumultu ne hilum laborant.

[1] Rom 2, 15. [2] Ps 118, 165.

Haec te pax, fili mi, et quies efficaciter emovere debet, quo meo te servitio bonisque aeternis comparandis ex toto corde et animo dedices, frivolis vero rerum mundanarum nugis neutiquam credas neve tibi a speciosa calicis Babylonii forinsecus deaurati, interius vero taetrum venenum continentis apparentia ac splendore imponi sinas. Veram autem laetitiam quaerito meisque consiliis, quae sane saniora multo et fideliora sunt quam tua, totus acquiescito! Vitae puritatem sectare et illam conscientiae tranquillitatem securitatemque senties, quae omnibus mundi thesauris opulentior est, cum certissima quadam salutis aeternae obtinendae spe.

Caput VIII.

De Dei erga servos suos providentia et cura.

Famis et sterilitatis tempore populus quidem turbatur et nulla aliunde consolatione affulgente non parum affligitur; at principum clientes et asseclae, quibus numquam commeatus atque alimenta desunt, nullam famis tempore molestiam aut desolationem sentiunt.

Certisimum est multas impiis aeque ac piis et iustis tribulationes evenire; sed in iisdem peccatorum plebecula et vulgus gravissime affligitur et turbatur, at iusti cognoscentes habere se in caelo divitem et liberalem Dominum extremas illas peccatorum afflictiones non sentiunt, ut tam in spiritus adversitatibus — in gravissimis inquam tentationibus — quam in necessitatibus temporalibus, quando ipsis vel calix aquae frigidae videtur defuturus, adeo non animum despondeant, ut etiam intrepide dicant: «Equidem de uno hoc sollicitus

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

sum, ut Dei mei maiestati serviam, aliud non specto quam vitam aeternam, quam mihi ipse pollicitus est; ipsi erit haud dubie cura de me et, si ad salutem meam panis corporalis necessarius futurus est, illum mihi ab eodem datum iri certus sum.»

Haec sc. omnium iustorum sententia et sensus est, prout propheta meus scripsit: *Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet.*[1]

Neque est, quod servi mei de necessariis bonis temporalibus sollicite laborent, quod per meos ipse evangelistas illis promiserim me a parte mea minime defuturum, sed sedulo me omnibus ipsis prospecturum adeo, ut qui clementissimi Patris mei condicionem perspectam habuerit, nulla ei dubitandi de me sit ansa futura, sicut per evangelistam meum Matthaeum significavi dicens: *Si vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester, qui in caelis est,* quique omnium dator et ipsa bonitas est, *dabit bona petentibus se!*[2] Et si tantam ipse Israelitarum curam gessi, ut miraculose eos tot annis in sterili solitudine sustentarim, quomodo credibile sit me hac in parte christianis ac praesertim servis meis, quos oculis, immo et anima mea cariores habeo, defuturum! Ego ipsis vitam dedi meque ipsum illis in altari sacramento velut animae panem comedendum nemini me subtrahendo proposui, quomodo ergo panem corporalem negem ei, qui mihi famulatur ac mihi confidit!

Mihi itaque te crede, carissime fili, ac benignissimae providentiae meae te committe, quae adeo certa ac fidelis est, ut vel hoc solo nomine tibi

---

[1] Ps 54, 23. [2] Mt 7, 11.

ipsi debeas diffidere mihique servire et regnum meum aeternum quam ardentissime et summo studio quaerere! Patiar quidem interdum tentari te et corporaliter affligi; at tu viriliter confide in mediis illis te tribulationibus non secus ac pupillam oculi mei a me custodiendum, ac minime passurum me, ut ab infirmitate, pauperie, tentationibus interioribus, tum persecutionibus exterioribus, tum alia qualibet poena opprimaris, nisi id ad maius animae tuae bonum futurum sit, et hac sis via ad vitam aeternam conducendus. Noli cor tuum bifariam dividere et mihi unam partem tantum dare et alteram tibi reservare, quo nimirum timidis et incertis mortalium providentiis et curis nitaris! Sed da mihi id totum et ingenti id ipse tibi donum faenore compensabo, ipse inquam, qui ipsa sum liberalitas, meque ipsum pro te liberaliter totum obtuli ac tradidi!

Caput IX.

De victoria, quam Dei servi de vitiis obtinent.

E praecipuis, quibus ad vitam aeternam comparandam incitari debes, stimulis est ipsa vitiorum victoria, quam de iisdem regni mei, quod prae omnibus mundi mirabilibus maxime admirabile est, competitores et candidati referunt.

Innumeros — scio — motus inordinatos pravosque sentis, qui tibi a vitiata veteris Adami natura innascuntur. Aliud quippe praeter terram amare, desiderare ac quaerere non nosti, de rebus caelestibus tractare tibi molestum est, at ad profana vanaque mundi negotia quam promptissimus, insatiabili quoque corporalium commoditatum ac deli-

ciarum appetitu aestuas, denique *animalis* totus factus es, qui teste apostolo meo *non percipit ea, quae sunt Spiritus Dei*[1]. Quod adeo quidem verum est, ut vitiis mens humana alliciatur et a rerum aeternarum studio quam maxime alienetur adeo, ut et stultitiae quoddam illi videatur genus illorum meditationi considerationique tempus aliquod impendere.

Quid vero de permultis servis meis dices, qui cum primo vitiis omnibus toti assuevissent et ad instar pecorum ut homines animales vixissent, ut non aliter iis data videretur anima, quam ut ab ea corpus vegetaretur et pasceretur ut et a sua anima equus; postea tamen ad regnum caeleste aspirantes, cum de illius divitiis fando multa ab aliis accepissent, divinae gratiae meae cooperantes crapulam, luxuriam, acediam, avaritiam, superbiam aliaque, quae in ipsorum mentibus dominabantur vitia, expugnarunt; non sine maximo ipsorummet stupore, quod iam se temperantes, castos, in divino obsequio ferventes, liberales, humiles, denique in alios se et novos homines universali quadam sui reformatione transiisse cernerent? Antea illis impossibile videbatur continenter vivere, postea vero per ipsam in se viderunt experientiam sinceros se castitatis et amatores esse et cultores. Antea intolerabile ipsis videbatur vel unum ieiunare diem, et post solo pane contenti vivunt et aqua, multis etiam septimanis ieiunantes non sine magno animae ipsorum nutrimento. Antea tantundem sibi tolli putabant sanguinis, cum pauperi quid elargiendum esset; post suismet se spoliant vestibus, quo pauperes et nudos tegant. Mirabilem igitur

[1] 1 Cor 2, 14.

hanc mutationem conspicientes non parum ipsi obstupescunt, meas celebrant misericordias, me sine fine glorificant ac divinae gratiae meae ope adeptas victorias numquam non depraedicant. Immo vero quam maxime eos paenitet, quod non iam inde a primis annis mihi servire coeperint; quocirca praeterea vitia ceu quidam illis sunt stimuli ad perfectionem et vitae cuiusdam angelicae in terris ducendi motiva, ut videre quam maxime tibi in «Confessionibus» fidelissimi famuli mei Augustini et in vita carissimae sponsae meae Mariae Magdalenae licet.

Caelestis haec mutatio emovere te debet, ut vel aliquem saltem tum mea tum tua causa laborem suscipere ne verearis; mea quidem, ut hoc pacto glorificer; tua vero, ut duram sic Pharaonis servitutem a te excutias, a praeteritorum vitiorum onere te allevies et quam velocissime per viam vitae curras.

Mihi credas velim, carissime, generosos athletas et bellatores non in patria modo caelesti, verum etiam in hac lacrimarum valle ineffabilibus quibusdam consolationibus solere perfundi, ubi nempe gratiae meae vim et efficaciam primum experiri incipiunt. Non ergo te pigeat cum aliqua hic molestia seminare ac maestitia, quo fecundam uberemque alibi colligas messem. Satius multo est socium esse eorum, *qui seminant in lacrimis* et *in exsultatione* postea *metent*[1], quam per inertem segnitiem et timorem carnalem ad regnum meum aspirare nolle, sed semper sub gravi vitiorum pondere et tyrannide gemere. Da operam potius, ut ex homine animali in spiritualem transeas et

[1] Ps 125, 5.

Spiritu meo aspirante ad fertilissimam promissionis terram, ubi vera tua futura libertas et consolatio est, te conducam!

Caput X.

De Christi Domini benignitate et facilitate in ignoscendo, siquando servos suos labi contigerit.

Nec est vero, carissime fili, quod animum despondeas dicens multum esse homini suscipiendum molestiarum ac laboris, ut ad regnum meum perveniat, per medios illi esse enses penetrandum, tot hostes superandos ac proinde vereri te, ne interdum cadendo frustra impenderis. Nam ut taceam non paucos servos meos, ut primum sincere ad me converti coeperint, ad mortem usque ab omni peccato mortali gratia et auxilio meo succurrente abstinere: sperare tu quoque potes, de illorum te esse numero, tametsi alioquin ad peccatum graviter tenteris et affligaris; at posito te per fragilitatem interdum in adeo gravibus certaminibus succumbere et labi, non propterea umquam cordis mei ianuam tibi occludam, quin immo ad te recipiendum peccatorumque tuorum oblviscendum ero semper paratissimus, quotiescumque tamen divina auxiliante gratia ad me confugeris, neque minus quoad hoc futurus sum liberalis et fidelis, quam semper fui; cum iam inde ab orbis principio nullus ad me umquam ex corde clamarit, gratia mea, quam ad me invocandum suggerebam, utens, erga quem meam non ostenderim misericordiam. Quin etiam, quamvis saepius in peccatum rueres, tam in te erigendo promptus ero in ultimo lapsu, quam fui in primo, nullum animi

magis alienati vel aversi erga te signum ostendens. Sum ad ignoscendum promptissimus; hic enim actus divinae naturae ac bonitati meae convenientissimus est. Quamobrem noli timere, quasi ipse tibi sim, ubi te videro in vitae huius mortalis conflictu prostratum, defuturus.

David quidem et Petrus, integerrimi amici mei, lapsi sunt; at si sacram legas historiam, comperies me non solum in ipsis compatiendo fuisse benignissimum, verum etiam iisdem postea opitulatum esse eosque ad maiorem sanctitatem et gloriam, quam ante peccatum habuerant, evexisse; numquam deinde suum illis errorem improperavi, immo eos ceu carissimos filios meos dilexi et complexus sum.

Eandem in me ipse benignitatem et clementiam invenies, si te in me contingat peccare. Hic sane te stimulus vehementer et acriter incitare deberet, ut regnum meum, ad quod ipse te voco, quo te semper penes me habeam, acquirere studeas.

Tuae sum ipse condicionis probe conscius, nec punctilla illa et minutias, quas terreni principes observant, servare soleo. Hos enim si semel vel leviter offenderis, nullo eos queas modo vel arte tibi reconciliare, eo quod exiguae sint misericordiae. Ego autem ipsa sum bonitas et misericordia et, ut peccatores salvos facerem, in mundum veni; quin immo eo ipso, quo carnem e stirpe et progenie Adam accepi, simul etiam peccatorum iuvandorum eorumque rem et negotia agendi et veniae illis ex infinita caritate procurandae sedulo suscepi.

Revoca itaque in mentem, carissime, verba illa apostoli mei dicentis: *Non enim habemus ponti-*

ficem, qui non possit compati infirmitatibus nostris [1]. Pauca quidem dicit, sed multa satis magna cum emphasi innuit; nam non modo pontifex austerus, immitis, sine ulla compassione non sum, verum etiam praeter bonitatem mihi innatam ad faciendam misericordiam paratissimam ipsis me hominibus in laboribus et poenis ferendis assimilavi, ut eo meam erga illos misericordiam paratissimam copiosius exercerem, ut idem meus de me ait apostolus: *Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, et fidelis pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* [2] Quae cum ita sint, fili mi, non est, quod timeas, sed generose decerta, ut bravium accipias et palmam, et in omni mortalitatis tuae eventu securissimum me refugium habebis.

Caput XI.

Quomodo servi Dei honorentur.

Persuasum habent peccatores honoribus mundanis inhiantes hominem eo ipso, quo mihi servire proponit, contemptibilem et vilem fieri eumque ab omnibus abici et vilipendi.

Verum errant quam gravissime, quoniam, cum certissimum sit honorem verae virtuti deberi, eo ipso, quo homo virtutibus meis divinis studere incipit, honore omni redditur dignissimus.

Quod ipsi etiam principes quam maxime ab omnibus in terra honorati non ignorant, quin immo tum verbis tum re ipsa profitentur. Hanc porro

[1] Hebr 4, 15. [2] Ib. 2, 17.

veritatem non modo principes pii, qualis fuit servus meus David, cum diceret: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus*[1], fatentur, verum etiam alii parum pii, qui in extremis suis necessitatibus, quando nec potentia nec divitiae nec prudentia mundana illos iuvare possunt, ad servos meos auxilii causa confugiunt eosque invocant et enixe contendunt, ut apud me pro se intercedant. Reges id et ipsi imperatores in gravissimis belli periculis, morbis et adversitatibus, a quibus opprimuntur, facere solent.

Quocirca velim, fili mi, ut servorum meorum honorem parumper consideres.

Dic mihi, cur in suis imperatores afflictionibus et necessitatibus ad servos meos in speluncis abditissimis delitescentes et a mundo honorari magnique fieri subterfugientes confugiant! Quam ob causam recurrunt ad eos, qui nullam habent potentiam humanam, non divitias, nec saeculi callent prudentiam? Nemo sane alterum invocat, ut ab eo adiuvetur, nisi ab illo sese iuvandum credat. Unde fit ergo, ut magnates et potentes terrae paucos humiles et mansuetos scholae meae discipulos inclament, quo ab iisdem opem accipiant, cum non ignorent humanam ipsis deesse potentiam, a qua iuventur? Rei huius ratio est, quod persuasum habeant aliam quandam sublimiorem servis meis inesse potentiam, et in gradu quodam altiore, quam proprius sit, ideo hos esse constitutos, quod sunt amici mei, et plus opis hos suis a me precibus obtinere sibi posse, quam omnes terrae potentes et proceres conferre queant. Hac confessione tum ore tum re ipsa satis ipsi reges terrae

[1] Ps 138, 17.

ostendunt, quanto servi mei honore digni sint, qui omnem terrae honorem pedibus proculcant!

Acer hic est ad mihi serviendum et ad regnum meum contendendum stimulus; si enim iam tum in terra sic a magnatibus et prudentibus saeculi amici mei honorentur, quo eos, carissime, putas in regno aeterno, quando ipsorum apparebit gloria et quando eos non modo electi mei, sed egomet ipsorum Dominus et creator coram Patre meo caelesti laudabo et honorabo honore afficiendos? Certus namque esto hoc me promissum meum sc.: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo* [1], impleturum.

Adeo, ut egomet tuus sim, fili mi, praeco et honorator futurus, si pure pieque vivas et ex animo ad felicissimam caelestis Ierusalem habitationem, ubi amor regnat aeternus et ineffabiles consolationes meae abundant, anheles.

Caput XII.

De vitae perfectione, ad quam servi Dei perveniunt.

Si mundi amatores suis illam vitae perfectionem perspicerent oculis, ad quam servi mei potentissima gratiae meae ope perveniunt, non mediocri admiratione percellerentur meaque opera obstupescerent. Verum ad hanc ipsi se non reflectunt, sed aliquot dumtaxat hinc inde humiles ac mites discipuli mei, qui iucunda quadam et suavi violentia ad bonorum se aeternorum desiderium praetensionemque pertrahi sentiunt, dum summam illam vitae admirantur perfectionem, quae hic obtinetur.

[1] Mt 10, 32.

Quod si eo modo quo oportet ponderes, mi fili, non exiguam id tibi est utilitatem allaturum. Pertingunt siquidem servi mei ad quandam animi magnitudinem, ad conscientiae sinceritatem, ad mentis fortitudinem, ad rerum terrenarum contemptum, ad aeternorum bonorum affectum et ad quendam amorem mei adeo excellentem et divinum, ut nulla hominum vel lingua exprimi vel cogitatione queat comprehendi. Perveniunt item eo, ut in me quodammodo transformentur — qualis illa transformatio fuit apostoli, cum de se diceret: *Vivo autem, iam non ego; vivit vero in me Christus* [1] — adeo ut ego, qui ipsamet vita sum, mirabili quadam ratione in magnorum servorum meorum, qui per gratiam divinam affectu in me toti mutati sunt, cordibus vivam. Per admirabilem porro hanc unionem magna quaedam et mirabilia operantur digna sane iis, qui ad vitam aeternam aspirant.

Ceterum, cum tu, carissime, ad tam sublimem pertingere gradum ac divum possis, ex corde toto mihi serviendo rerumque caelestium studio totum te applicando: quin manum admoves operi? Vitae mortalis laqueis, quibus illaqueatus es, te iam extrica et altitudinem et opes, quas in domo mea potes acquirere, respice! Illiciis et blanditiis carnis aures occlude et per angustum callem ad vitam ingredi adlabora! Quem cum ingressus fueris, in amplissimum patentissimumque consolationis campum pervenies; postquam sc. generose adversus animae tuae hostes decertaris, et ad eam vitae perfectionem pertinges, ut tibi posthac aliud non sapiat quam unicae legis meae observatio, in qua

[1] Gal 2, 20.

omnigenum te reperturum bonum credes, et dilatabis cor tuum, ratus ambulare te in regione, quae animae tuae spatiosa sit et deliciosa, sicut id de se servus meus David testatur dicens: *Et ambulabam in latitudine, quia mandata tua exquisivi* [1].

Cum autem iustus provectus et multis annis in domo mea exercitatus ita sentit, ut sibi in via quadam spatiosa patentique ambulare videatur, certissimum id argumentum est iam ad summam quandam perfectionem eum pervenisse, cum omnis eius in eo sita sit voluptas, ut voluntatem meam, quae illi per legem est indicata, faciat. Statum hunc bene perpende, fili mi, qui quaedam beatitudinis caelestis in hac vita inchoatae species est, quae deinde in altera cum summa iustorum perfectione et summo gaudio continuetur.

Noli timere; ego enim tibi adero et quendam ex anima et corpore tuo thalamum ac templum, in quo cordi meo complaceat, efficiam inque te non sine magna utilitate tua requiescam, spiritualibus habitationem meam bonis, qualia sunt illa, quibus in fertilissima viventium terra, in qua sine fine commorabuntur, beati gaudent, repleturus.

Caput XIII.

De interioris hominis ordinatione et compositione, quam in Dei servis gratia operatur.

Filii Adam a die, quo primum in hanc lucem editi sunt, pacem non habent, eo quod, cum in peccato et concepti et nati sunt, per magnam

[1] Ps 118, 45.

quandam appetituum et potentiarum suarum deordinationem assiduum et crudele in se bellum sentiunt, ut in continua quadam morte vivere videantur. Bellum hoc, quando ad me homo converti incipit, adeo non sopitur, ut post etiam multo vehementius insurgat et longe molestius sit. Unde apostolus meus de se sic loquitur: *Video autem aliam legem in membris meis*[1], i. e. legem carnalem aut perversam quandam inclinationem in parte mea inferiore, *repugnantem legi* spirituali *mentis meae, et captivantem me in lege peccati, quae est in* corpore et *membris meis.* Haec membrorum lex vel concupiscentia vel inclinatio ad peccatum grave quoddam tormentum est servos meos non parum affligens et crucians adeo, ut idcirco continenter et assidue ad me suspirent, quo a dura hac servitute et mala corporis societate liberentur, uti post illa verba idem apostolus meus subinfert: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*[2]

Hoc sc. modo gemunt et lamentantur iusti et ad interioris hominis compositionem et ordinationem anhelant illius partes omnes ita componere et ordinare desiderantes, ut in operibus iustitiae exsequendis pars inferior cum superiore concurrat et menti adeo non repugnet, ut illi potius famuletur et serviat.

Magnum quid est hoc et admirabile plane gratiae meae opus adeo, ut humana et fortitudo et dexteritas et prudentia ad opus hoc stupendum impar sit et insufficiens solaque divina gratia ad hoc sufficiat, ut idem testatur apostolus, qui, cum dixisset: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?*

[1] Rom 7, 23. [2] Ib. 7, 24.

statim subnectit: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum*[1], eiusque merita, adeo ut per Dei gratiam homo reformetur et ordinetur et ab illa affectuum et motuum inordinatorum, qui mentem eius adeo vehementer oppugnant, ut nullam ei quietem indulgeant, depravatione liberetur, idque adeo, ut servi mei, qui divina adiuvante gratia illos passionum, quae in parte inferiore sentiuntur, impetus et violentiam refrenare satagunt, ad serenitatem quandam admirabilem interdum perveniant ita quidem, ut, cum eadem motiva incidunt, quibus ante passiones commoveri solebant, iam se nullatenus moveri aut concitari sentiant, sed magna quadam pace, quae exsuperat omnem sensum potius gaudere, mirenturque talem in animo se suo affectuum ordinationem et moderationem, qualis civium caelestium est, experiri. Pars namque superior ab inferiore non turbatur ideoque suo se divinitus attemperat obiecto; intellectus suavissimo veritatis meae cibo pascitur; memoria caelesti quadam serenitate potitur adeo, ut nullis creaturarum imaginibus importunioribus interrupta me semper sibi praesentem fingat; voluntas porro puri cuiusdam amoris, qui supra omnem terrenam dulcedinem dulcis fit, flammis inardescit; pars vero inferior mire pacifica est et mentis imperio parere solita sine ulla refragatione et resistentia ad opera se iustitiae facile trahi sinit. Ipsa etiam caro ita se spiritui accommodat, ut summa quadam laetitia mihi dicat iustus: *Sitivit in te anima mea* vel potius spiritus, *quam multipliciter tibi caro mea*[2].

Haec inchoata quaedam beatitudo est, quae in statu immortalitatis perficietur.

[1] Rom 7, 25. [2] Ps 62, 2.

Porro si etiam in hoc exsilio servi mei interdum tam inaestimabile bonum acquirunt, cur tu ad bonum illud, fili carissime, non anhelas et id non concupiscis? Cur te totum mihi in holocaustum non offers idque pia quadam aemulatione, qua sanctis meis invideas ascendendo et evolando in palmam, quo suavissimos eiusdem fructus degustes? Sane si vel semel interioris concordiae suavitatem degustasses, tametsi vel brevissimo tempore, omnia haud dubie regna terrae et quidquid in eadem umquam filii Adam vel invenire vel excogitare amabile potuerunt, haud gravate contemneres. Quocirca viriliter pro regni mei corona decerta et ab ipsamet veritate manifeste convictus divinae gratiae mirabilia non poteris non confiteri atque ad aeternae iter vitae peragendum multo fies potentior et animosior.

Caput XIV.

De iustorum in mortis articulo gaudio et hilaritate.

Ipsi mundi sectatores non parum contremiscunt et conturbantur, ubi se iam aetate provectiores esse et propediem hinc, ut ordinarie contingit, emigraturos et brevem suam commorationem fore conspiciunt. Quoniam enim omnem suam in terra spem collocarunt hinc, dum necessario a vanis suis se voluptatibus brevi vident avellendos et sua ipsorum conscientia domestica testis in alia vita praeter gravissima tormenta aliud ipsis non spondet, infernalem quendam in animo dolorem sentiunt et talem spiritus deiectionem et angorem, quali ipsi in inferno damnati torquentur.

At iusti, qui toto vitae tempore semper ad beatissimum regnum meum aspirarunt et certo eius se compotes futuros sperant, ubi iam aetatem suam inclinare considerant et vires corporis sensim deficere comperiunt, maximo interius gaudio perfundantur laborum suorum praemio quam certissime donari et deliciarum divinarum torrente brevi satiari quam ardentissime cupientes. Ubi ergo felix illorum hinc emigratio instat, ipsa videtur anima ad me gestire evolare et corporis sarcinam excutere conari idque certis quibusdam cordis elationibus, quae certissimae cuiusdam fiduciae et amoris mei actus sunt. Tunc sc. locum habet illud, quod in Proverbiis ego dixi: *Iustus autem quasi leo confidens absque terrore erit*[1]. Quod cum magna circumstantium consolatione in aliquorum singularium servorum meorum obitu cernere est, qui gratiae et iustitiae meae armis armati et in mortis hora ita confortati reperiuntur, ut rideant et interius cum magno animarum suarum gaudio exsultent.

Hic suavissimus quidam bonae vitae fructus est et acre ad bene agendum calcar, quo ipsi etiam lapides emolliri deberent. Quamobrem, carissime, respice finem et serio eum meditare; considera, inquam, quantae tunc tibi futurum consolationi sit et refrigerio, quod verus fueris vitae aeternae amator et desiderator, quando tibi bona tua conscientia dicet: Euge, serve bone et fidelis, quia iam appropinquat aeterna merces tua!

Ecquae divitiae, honores, consolationes terrenae et humanae cum optabili illa conscientiae pace in tremenda illa hora conferri poterunt? Quamnam

[1] Prv 28, 1.

admirationem concitaret, si beatorum illorum amicorum meorum aliquis eam hominibus praedicaret et declararet consolationem, quam in amaro illo transitu experitur, utpote qui iam re ipsa noverit, quam sit gratia mea copiosa et auxilium fidele! Auxilium sane meum, quod servis meis in illa hora confero, tantum tamque evidens est, fili mi, ut non sine ratione id omnibus, qui in mundo tolerantur, laboribus ac molestiis comparari mereatur. Tunc quippe fidelis operarii auribus insonat grata illa Patris mei vox, qua domus suae dispensatorem compellans ait: *Voca operarios, et redde illis mercedem!* [1]

Ceterum, si ego dispensator sum et tui causa ex intima quadam amicitia et dilectione homo factus sum, quid non tui causa facturum me tunc putas, fili, ubi hora illa venerit, qua ad remunerationem, mercedem et coronam tuam transibis? Sane si nulla alia motiva praeter hoc unum forent, quibus ad obsequium meum pertrahi deberes, omnia tibi propter me pio quodam foenore, e quo maximus et infinitus tibi est quaestus proventurus, derelinquenda et abneganda essent. Mundi itaque consilia et suasiones sperne et credere noli illi, qui te salvare nequit; sed mihi salvatori tuo crede, qui idcirco et passus et mortuus sum, ut hereditatis caelestis tibi ius et aeternum clementissimi Patris mei regnum compararem.

[1] Mt 20, 8.

PARS SECUNDA

QUANDAM CONTINENS INSTRUCTIONEM ET EXHORTATIONEM AD VIRTUTUM, QUARUM ADMINICULO REGNUM DEI OBTINETUR, USUM VEL EXERCITIUM.

Caput I.

De humilitate.

Animam tuam illuminare volo, fili mi, et rationes ac media illi suggerere, quibus ad beatissimum regnum et gloriae meae requiem pervenire queas. Frustra siquidem tibi varia produxerim motiva, quibus tibi civitatis Dei amorem ac desiderium ingenerare sum conatus, si ipsa media nolis amplecti et per vias ad aeternitatem dirigentes, per virtutes, inquam, quae in schola mea edocentur, ambulare detrectes.

Equidem omnes filios Adam, qui sub gravi mortalitatis onere gemunt, vocavi dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos*[1], utque eos ad verum et aeternum refrigerium et quietem conducerem, omnes, ut a me humilitatem et mansuetudinem discerent, exhortatus sum hisce verbis: *Discite a me, quia mitis sum et* **humilis corde**[2]. Divino quodam id feci consilio; fundamentales quippe fabricae spiritualis,

[1] Mt 11, 28. [2] Ib. 11, 29.

quae in templum Dei vivi assurgere debet, virtutes hominum cordibus imprimere volui. Unde, cum ego te, carissime, docere velim vivum quoddam in te templum construere, ante omnia humilitatem a te exigo, ut quae proprium et unicum discipulorum meorum signum est et nota. Virtus haec meritis ampla est et ad aeterna in caelo bona thesaurizanda cumprimis efficax.

Unde, si vero ipse caelestis vitae desiderio flagres, necesse est ex toto corde tuo humilitatis incumbas exercitio, duo potissimum capita spectando, in quibus virtutis huius consistit perfectio, ut primo sc. tui ipsius vilitatem perspectam habeas, quod ad intellectum spectat, deinde hominum vituperia et contemptum aequo animo feras, quin et diligas, atque hoc ad voluntatem refertur, adeo ut si te ipse — divinae gratiae cooperando — et vilem et contemptibilem aestimes et ut talis ab aliis haberi gaudeas, tunc vere pretiosissimam hanc humilitatis gemmam, quae omnibus, quae in terra amari queunt, rebus dignior est, comparaveris.

Considera, dilectissime, quid in te ipso experiaris et notes; magnam sane quandam in te reperies maxime rerum divinarum ignorantiam; infinitos etiam motus inordinatos ac vanos, qui si palam omnibus aperirentur, rubore procul dubio suffundereris; extremam quoque inconstantiam luna ipsa mutabiliorem, tantam quidem, ut ne paucis quidem diebus in uno permanere possis statu et esse; invenies ad haec fragilitatem quandam incredibilem et ad omnia opera ardua et heroica, praesertim ea, quae ad obsequium meum spectant, impotentiam nec non quandam affectuum omnium corruptionem, qualis in ipsis gentibus, quibus evan-

gelium meum nondum innotuit, perspicitur; quin etiam nimium quendam et effrenem erga carnis delicias et commoda affectum et amorem; avaritiam quoque insatiabilem, quae ne universo quidem Indiarum auro queat expleri, ambitionem ad haec luciferianam adeo, ut ad regios etiam evehi honores ac thronos velles et ab omnibus coli, etsi nulla tibi dignitati huic merita paria inesse certo scias; quandam etiam in cibo potuque intemperantiam, ut nullum appetitui tuo et ingluviei terminum scias praestituere; nec non probrosam quandam ac turpem ad opera virtutis exercenda inertiam; denique miseram quandam in te reperies ad peccatum proclivitatem, ut et peccatum omne parvi facias, animam iuxta ac corpus tuum sine ullo maiestatis meae intuitu commaculando. Iam vide et considera, quaenam sint ea, e quibus cum tuam ipse vilitatem perspicias et ob quae te despicere discas tum ab aliis despici gaudeas.

Hoc autem scias velim te, etsi vel unum dumtaxat tota vita tua letale crimen admisisses, aeternam ob id infamiam et opprobrium promeruisse et nescire, an ab hoc infelici reatu sis liberatus.

Cur igitur te non humilias, aeternam illam humiliationem per temporalem redimere satagens, praesertim cum et hac verae humilitatis occasione ius ad gloriam et honorem aeternum acquirere possis? Ingredere, fili mi, scholam humilitatis et inaestimabilia in ea tibi bona acquires, quae modo nescis cognoscere et ponderare.

In veritate tibi dico, etsi nec iis quidem, quas modo perduxi ad humiliationem tui, rationibus obligareris, propter ipsam saltem virtutis huius amabilissimae honestatem id facere deberes. Cer-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

tissimum et notissimum omnibus est eo ipso, quo servus meus sese humiliat, multos eum honorare et colere satagere, utpote qui in humili illa anima attractivam et pellacem quandam virtutem videant, a qua tam potenter ad amandum et efficaciter attrahuntur, ut caelico quodammodo dominio et imperio verus humilis omnium animis dominetur eosque possideat. — Tale quippe is in aliorum affectus dominium obtinet, quale ego in festo palmarum exercui; quando nimirum humili et mansueto schemate Ierusalem ingrediens omnium civium animos magna quadam suavitate ita ad me attraxi, ut clamare et plaudere eos ac gloriam meam canere compellerem. — Quin etiam in hac vita omnis, *qui se humiliaverit, exaltabitur* [1]. Memento Ambrosii, Gregorii aliorumque amicorum meorum, qui se ipsos despiciendo et dignitate indignissimos arbitrando sese abscondebant et ab urbibus subducebant, et illos ego vicissim in hac etiam vita exaltavi eos ad sedes pastorales evehendo et per universum terrarum orbem nomen eorum divulgando. Recordare amantissimi mei Francisci, qui, quo intra humilitatis se abyssum deiceret profundius, eo illustrius et gloriosius etiam in hac vita nomen acquirebat.

Ego sum ad benefaciendum donandumque promptissimus; ipsa mihi resistit superbia, quod suos illa clientes vento repleat et inflet, nullus ut spiritui meo infundendo locus relinquatur; at humiles ab omni sese vanitate evacuant, et quo se magis inaniunt, eo ampliorem mihi dant locum ad eos gratia et misericordia mea adimplendos. Hanc ob causam pleni sunt sapientia et luce di-

[1] Mt 23, 12.

vina et Ecclesiam sponsam meam incredibiliter illustrant. Magna quadam vehementia humilis anima cor meum ad sese attrahit, quod carissimae matri meae, in cuius corde humillimo iucundissimam quandam animae meae quietem et delectationem inveni, ea sit persimilis.

Si itaque, fili mi, bene rem tuam agere mecum aeternaque donari a me gloria et honore velis, humilia te cum submisse de te sentiendo tum vilis ab hominibus haberi desiderando. Noli turbari, etsi tibi difficile sit interdum ab aliis despici et contemni molestum; si enim viriliter et animose certes, non idcirco merito tuo frustraberis, et perseverando fiet, ut postea tibi etiam displiceat, quod contemnaris et despiciaris, ita vero, ut mundanorum improperium nullam tibi afferat molestiam, sed per divinae gratiae et consolationis, qui in animam tuam penetrabit, influxum gratum et iucundum tibi sit potius ab aliis despici et rideri.

Praeterea, quamvis toto vitae huius tempore in perpetuo humiliationis exercitio vivere deberes, tam alta atque excellens tamen humilium futura in iudicio meo coram omnibus, a quibus despecti et irrisi sunt, est gloria, ut sorte sua merito queant esse contenti. Dicent quippe tunc illorum irrisores sero poenitentes et furentes: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, et finem illorum sine honore; ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter sanctos sors illorum est*[1]. Ad aeternum illum itaque honorem oculos tuos converte, ca-

[1] Sap 5, 3—5.

rissime, quo animatus animose per humiliationes omnes temporales penetrabis et ego tuus honor futurus sum et corona.

Caput II.

De mansuetudine.

Ego, redemptor tuus, fili mi, in hunc mundum veni, ut iniurias et ignominias aequanimiter paterer nec me ulciscerer, quippe qui pacifico quodam dominio in hominum animis regnare proposueram mundumque mihi non ferro, sed ligno subiugare, quo infinitam meam in hac victoria mansuetudinem declararem.

Quamobrem quicumque reddi victoriae meae particeps desiderat, de ferro vel vindicta cogitare non debet, sed mitis esse iramque tum suam tum proximi mansuetudinis meae potentia superare. Idcirco cum meos ipse discipulos per orbem armatos mittere possem ad spiritualiter mihi mundum subigendum, non ferro, sed unica mansuetudine eos armavi dicens: *Ite; ecce, ego mitto vos sicut agnos inter lupos*[1]; proinde eo etiam admirabilior illorum fuit victoria, cum non resistendo, sed tolerando et per dulcedinem mansuetudinis christianae faciendo, ut in agnos lupi commutarentur, mundum expugnarint.

Victoriae huius vim tum sensit Paulus, cum illi Damascum proficiscenti et iram et minas in discipulos meos spiranti ego, qui sum agnus Dei et omnis mansuetudinis exemplar, apparui, cumque de tam gravibus vindictam sumere peccatis illius

[1] Luc 10, 3.

possem, adeo de eo me ultus non sum, ut eum etiam verbis hisce animum mitissimum testantibus ad me vocarem: *Saule, Saule, quid me persequeris?*[1] Quibus ille motus e lupo rapaci agnus mittissimus factus est et in seipso didicit, quo ira sit modo expugnanda, cum cognosceret veram eius superandae rationem esse sese mihi conformare, atque hisce armis de efferatis hominum cordibus victoriam referri.

Saul, homo immitis et ferox, ad Davidem venerat intercipiendum, ira iam aestuans; at cum videret Davidem servum meum vestis illius tantum — nulla corpori, in quod tamen secure ac tuto ultionem illi exercere tunc licebat, irrogata iniuria — laciniam praecidisse: innocentis huius viri, quem ipse tam afflictim persequebatur et contumeliose habebat, mansuetudinem miratus mollitus est et lacrimatus victusque ad propria reversus est. Si hunc porro effectum in corde adeo immiti et duro mansuetudo fecit, quas non impressiones in aliis non adeo obduratis operabitur!

Omnis sane durities mansuetudini ilico cedit, ut quae optima est et efficacissima ad regnandum ratio, uti et humilitas, quae germana eius est soror. Quod ipsum etiam Saul idem etsi a passione effreni in transversum actus perspectum habuit. Ut enim primum mitissimum hunc Davidis animum notavit, in illa prorupit verba: *Et nunc, quia scio, quod certissime regnaturus sis . . .*[2]; perinde, ac si diceret: Dotem quandam et donum habes — quod iam satis etiam ego perspexi —, quod regibus proprium est, quandoquidem me, qui etiam rex sum et rex quidem rabie et furore percitus, superas

[1] Act 9, 4. [2] 1 Rg 24, 21.

atque idcirco sine dubio rex Israel es post me futurus. Adeo, ut mansueti uti etiam humiles iram in se ipsis frenando non suarum modo passionum domini fiant et reges, verum etiam cordium proximi.

Haec etiam suavissima virtus, ut taceam mirabilem illam efficaciam, quam iam dixi, hominem tum interiorem tum exteriorem ita componit, ut, postquam irae feritatem immanitatemque expugnarit, interior quidem plane serenetur et aquae cuidam limpidae ac defaecatae similis efficiatur, in quo me non sine summa quadam voluptate contempler, exterior vero ita mitescat et proximo gratus reddatur, ut nulli non ipsa mansuetorum conversatio arrideat, utpote quorum gestus et motus sint ordinatissimi et gratia omnes quam maxime allicienti plenissimi.

His itaque rationibus praesuppositis, fili mi, a pulcherrimae huius virtutis dulcedine capi et inescari te sine, cumque aliquam irae in te passionem velle senseris cornua exserere, illius honestatem ad animam revoca et huius amore inflammationis illius cordis impetum compesce, ne tam ingentium et inaestimabilium thesaurorum iacturam facias. Quod si feceris divinaeque gratiae meae coopereris, singularem cordis pacem et interiorem serenitatem tibi comparabis, quae nullis sit iniuriis aut irae incitamentis interturbanda; sed subtus te impetus omnes et contumeliae redigentur, uti sub caelo fluere nebulae solent, quae nullis elementorum perturbationibus ac vicissitudinibus commutantur, quemadmodum in excellentibus aliquot servis meis videre est, qui incredibili quodam animorum suorum gaudio et exsultatione ad caelestem quandam tranquillitatem pervenerunt. Ergo vide,

carissime, ne ullatenus turberis; vide, ut inimicis tuis benefacias; respice me, qui ad instar agni coram tondentibus me obmutui; calicem iniuriarum viriliter ad fundum ebibe et tuam ego animam interioribus divitiis cumulabo ac deinde ad caelestem gloriam meam te conducam.

Caput III.

De oboedientia.

Qui ab inoboedientia Adami illatum damnum restaurare voluerit, ex animo se et sincere excellentissimae illius virtutis oboedientiae sc. studio dare debet, suo ipsius iudicio et voluntate, quae multos in abyssos infernales deturbat, non nitendo.

Ego, Filius Altissimi, excellentissimam illam virtutem in terra mirabili quodam modo tum exercui, cum generis humani sum salutem operatus, adeo, ut servi mei non parum obstupescant, quando divinam maiestatem meam et carne vestitam et creaturis suis oboedientem vident, sicut apostolus meus satis bene intellexit dicens: *Et quidem, cum esset Filius Dei*, quem omnibus par erat imperare, tamen *didicit ex iis, quae passus est, oboedientiam*[1] non secus ac in schola discipulus. Haec oboedientiae meae commendatio omnem humanae et angelicae oboedientiae exaggerationem longe excedit; fuit nempe haud dubie plus quam mirabile me creatorem et infinitae magnitudinis regem matri et patri meo putativo in minimis etiam rebus oboedivisse, qualem mihi oboedientiam omnes in aeternum creaturae non exhibent. Exemplo hoc meo

[1] Hebr 5, 8.

lectissimus ad claustra religiosa terrae flos pellectus est, i. e. multi nobiles, sapientes et fortes, qui divitias, commoda, delicias et honores mundanos contemnentes meo se servitio devoverunt, quod ad regnum meum caeleste impetrandum imprimis necessarium putabant in oboedientiae statu vivere, ut sc. me imitarentur, qui iam inde a praesepio ad usque crucem oboedivi.

Et sane, quamvis hoc meum exemplum non haberes, ex toto corde tuo nobilissimae huic virtuti colendae deberes incumbere idque ob inaestimabilia, quae secum trahit bona. Certissimum est vitam hanc mortalem plenam esse periculis, ne ego, qui summum bonum sum, amittar nec non vera et aeterna illa vita, quam electis meis praeparavi, et homines, qui proprio reguntur iudicio et voluntate, per ancipites et periculosas vias plenas scopulis et praecipitiis in nocte quadam tenebrosa ambulare. Quid autem ad salutem in tuto collocandam magis optabile est quam ductorem nancisci te aliquem, qui medias inter tenebras te illuminet, vias complanet et scopulos et offendicula quaelibet removendo per admirabilem quendam et complanatum tramitem ad meum te regnum conducat? Magna profecto caecitas est rationem hanc efficacissimam nec magni pendere nec ponderare.

Negari porro non potest, quin homo interim, dum in vita hac mortali agit, saepe perplexus et anceps haereat, prorsus ut nesciat, quid sibi in gravibus sit tentationibus, quid in appetituum suorum mortificatione, quid in verarum virtutum comparatione, quid in honore, consolatione, sanitate vitaque propria faciendum. Dic mihi autem, fili mi, quid huiusmodi homini dari queat prae-

stantius et optatius quam alium meo loco hominem nancisci, per quem ego illi loquar, respondeam et in omnibus hisce dubiis adeo molestis et afflictivis illi, quae mea sit voluntas et beneplacitum, suggeram? Quod deesse illi queat bonum, quod nocere malum, qui ita a me dirigitur, ut semper, quotiescumque ab oboedientia se dirigi et gubernari sinit, consilium sequatur et optimum et securissimum, quod illi in hac vita dari queat? Etsi mors illi tum ex improviso superingruat, nullum illi inferre damnum poterit. Oret, bibat, comedat, dormiat, vel rideat eodem iubente: ecquod illi sequi inde malum potest, si tum emoriatur, cum in actuali voluntatis meae exsecutione et beneplacito meo perfecto quodam et incomprehensibili modo sese conformando emoriatur? Ingens bonum ac magnam securitatem et consolationem servo meo affert ipsum oboedientiae exercitium, quae sc. virtutes omnes arctissimo quodam nexu sibi conectit.

Hanc ob causam multi servi mei, qui in religione iustis quibusdam de causis vivere nequeunt, iuxta confessariorum suorum et spiritualium ac sapientium virorum consilia directionemque se dirigunt idque quam exactissime et in minimis etiam praeceptis. Persuasum quippe habent, quod, nisi ita faciant, nullo non tempore in gravia sint plurimaque peccata prolapsuri, eo quod usu vel iam noverint, quomodo sibi, dum suo se regunt iudicio et consilio, eveniat, vel quod re ipsa videant, in quos alii plurimi errores impingant, qui proprio sese regunt arbitrio.

Quamobrem, fili carissime, si errare nolis, tuo ac proprio noli niti iudicio; sed aliorum servorum meorum, qui illuminati sunt, nutui te subiciendo

fideliter exsecutioni mandare stude, quaecumque tibi illi suaserint. Imprimis operam da, ut voluntatem tuam corrigas et intellectum; voluntatem quidem, ut omnimodo velis, non quod illi arridet, sed quod ab alio illi suggeritur; intellectum vero, ut piissima quadam is ignorantia excaecatus, quaecumque oboedientia iniungit mandata, ante curiose non excutiat, sed haec ceu divinas quasdam ordinationes, quae sapientiae meae conformes sint, esse arbitretur! Quodsi ita te in oboediendo gesseris, etiamsi in principio aliquam difficultatem et repugnantiam senseris, per victorias tamen, quas per gratiam meam obtinebis, verus oboediens fies et, quaecumque superiores iniungent, magnam tibi prudentiam spirare et caelestem quandam dulcedinem videbuntur. Noli timere, quia ego ero tecum; noli amoris proprii et aliorum animae inimicorum suggestionibus auscultare; per fidem quoque te dirige cum perseverantia, et ego te ad beatificam visionem et vitam meam aeternam perducam.

Caput IV.

De castitate.

Pulcherrima virtus castitas geminus est et particularis Novi Testamenti et dulcissimae legis gratiae, quam spiritus mei digito hominum visceribus inscripsi, fructus; sicut olim per prophetam meum Ieremiam promisi dicens: *Dabo legem meam in visceribus eorum et in corde eorum scribam eam*[1].

Divina haec scriptura mirabilem quandam in multis virginum et adolescentium florentissimorum

[1] Ier 31, 33.

manipulis operata est mutationem; utpote qui carnis delectationes repudiantes magno quodam et ardenti erga puritatem tum spiritualem tum corporalem studio et effectu sese mihi dedicaverint. Revolve, fili, historias sanctorum et claustra respice religiosorum, in quibus millena servorum meorum nive candidiorum et puriorum milia vixerunt, ac quosdam Dei vivi exercitus, quorum ductor sit ipse Filius Virginis, castitatis triumphum celebrantes, angelis et caeli civibus aequales videre putaveris. Odorare liliorum meorum fragrantiam, quae omnem terrenam voluptatem longe transcendit, et hereditatis huius nec non amplissimae portionis, quaeque dulcissimus redemptionis et sanguinis mei fructus sit, candorem, splendorem, pulchritudinem et ineffabilem suavitatem intuere! Si haec ipse considerare pro merito scires, caelestem castitatis virtutem pro eo, ac meretur, magni faceres dignamque eam censeres, cuius causa viriliter ab omnibus certetur.

Ipsa sane virtutis huius gratia et excellentia ita notoria est, ut, quamvis pauci sint, qui eam modo custodiunt, eam tamen omnes — ipsi etiam infideles — admirentur. Etsi enim a contrarii vitii ipsi passione victi sint, confiteri tamen coguntur sublimissimam quandam hanc virtutem esse et hominem, qui divino succurrente auxilio carnis impetum compescit, caelestem quendam hominem, sapientiae arcam ac divinorum secretorum participem atque archivum fieri.

Quod revera ita se habet, ut colligere potes ex singulari illo, quo castas mentes prosequor, amore, cum non in animis illorum dumtaxat, sed et in corporibus ardentissimae caritatis signa imprimam. Cuius rei evidentia testimonia sunt immaculata

integraque multarum virginum corpora, amoris mei notis et characteribus non sine miraculo signata, uti nemini non notissimum est. Fuerunt haec templa viva et thalami deliciosissimi, in quibus repperi, quod animae meae beneplacitum erat.

Cum id genus animabus familiarissime ipse conversor eas ceu carissimas sponsas habendo. Si itaque hisce fructibus, qui tanta aestimatione digni sunt, frui ipse velis, viriliter pro castitate et puritate decerta, fuge occasiones foedas, a quibus inquineris, oculos refrena, carnem mortifica, orationi et sacramentorum frequentationi intende et ad me per pretiosissimam hanc margaritam aspira, et ipse eam tibi dabo te consortem meum faciendo et carissimam animam tuam arctissime mihi uniendo.

Caput V.

De paupertate.

Pro dignitate aestimare mundus paupertatis christianae opulentiam non potest, quam ego mihi in sponsam, quando in terra habitabam et humani generis redemptionem operabar, exemplo aeterna memoria dignissimo delegi.

Novi optime, quanto esse ad regnum meum obtinendum divitiae ac possessiones terrenae impedimento soleant; ideoque ita pauper esse volui, ut verba illa cordi tuo profunde imprimenda de me paupere dixerim: *Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos*, in quibus requiescant; *Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet.*[1]

[1] Mt 8, 20.

Hoc exemplum secuti sunt plurimi regni caelestis competitores persuasum habentes permagni ad bona aeterna comparanda referre, de temporalibus opibus sollicitum non esse. Hanc ob causam multi sancti insigni quadam sapientia acti suas vendidere facultates, quin et suis se vestibus interdum spoliarunt, quo me nudum in via vitae praeeuntem sequerentur. Quod ut facerent, divino eos actos fuisse consilio facile patet; quomodo enim nudum me et ad currendum expeditum sequi ipsi potuissent commode vestiti et bonorum terrenorum pondere gravati? Quomodo corda ad caelestem aspirare patriam rerum terrenarum abundantia, a quibus ad terram affectus trahitur, oppressa?

Concedo quidem illustres aliquot servos meos divitiis abundasse et ab illis divinae gratiae meae vi iuvante suum affectum avellentes laudabiliter illas beneque impendisse; sed paucorum admodum id fuit robur atque adeo nemo de se ipse praesumere debet, sed timere, quo securius salutem suam in tuto collocet, ut taceam, quod, quamvis christianus multas opes possidendo salvari queat, altior tamen et perfectior quaedam imitationis mei species sit universa relinquere et omnibus animi viribus in unum collectis de me uno dumtaxat, qui unus tota hominis sum opulentia, magnitudo ac beatitudo, sollicitum vivere.

Et vere; licet ipsi pauperes spiritu amplissimum illud non respicerent praemium, quod in caelo ipsos manet, at solum bonum illud, quod per gratiam meam etiam in terra possident; tanto tamen id maius est omni eo, quod mundus dare potest, ut unumquemque ad amorem et exercitium beatae paupertatis pertrahere deberet. Quid

autem veros pauperes, imitatores mei, habere boni putas, fili mi? Quid tibi videtur esse omnibus sese rebus spoliare? Si scires, quidnam sub vestibus pauperibus et in sancta mendicitate lateat, magnopere ipsam pauperum sortem et felicitatem demirareris. Generositatem siquidem insignem habent, qua universa terrae pretiosa pedibus per contemptum proculcant. Habent item filiorum Dei libertatem, quod nihil omnino in mundo perdere vereantur. Habent constantissimam quandam in me fiduciam, perinde ac si chirographum quoddam mea subscriptum manu haberent, qua certi reddantur nihil sibi umquam nec spirituale nec corporale, quod quidem sibi ad salutem aeternam comparandam necessarium sit, defuturum. Mentem item habent ad bonorum sempiternorum, quibus certissimo sese sperant potituros, contemplationem elevatam. Puram item habent conscientiam et hilarem, utpote qui iam re ipsa fidelissimam meam saepius suis in necessitatibus providentiam experti sunt. Exempti quoque singulari quodam et nobili modo sunt a plurimis poenis et gravi illa servitute, cui divites huius saeculi per opum, quas possident, sollicitudinem, per earum amittendarum timorem, per earum adaugendarum anxietatem aliasque molestias, quae vitam miseram et servilem quodammodo efficiunt, obnoxii sunt. Unde dispicere tecum ipse potes, quam immensum pauperes etiam in hac vita bonum possideant.

Si ita se res habet, carissime, quid quaeris, quid intendis? An non multo est melius opibus te meis, quae in aeternum durabunt, ditescere quam bonorum praetereuntium negotiationi et incremento tanto cum periculo, ne in laqueos incidas avaritiae, tam perdite incumbere? Beati illi, qui cum apo-

stolo meo Petro dicere possunt: *Ecce, nos reliquimus omnia, et secuti sumus te!*[1] In immensum porro veri voluntate pauperis cor dilatatur, quo aeternum bonum meum capiat et comprehendat. Optime veritatem hanc intellexit fidelissimus servus meus Franciscus, quando a patre iussus omnibus sibi fortunis et bonis temporalibus cedere, suas illi etiam ultro dedit vestes.

Si itaque amplissimam et locupletissimam in regno meo hereditatem velis, fili, fac, ut spiritu pauper sis; noli illas in vestibus, cibo, lecto aliisque vitae mortalis necessitatibus superfluitates, sed dumtaxat quod necessarium est, cum christiana quadam moderatione quaerere, etiam in bonam partem accipiendo, si quid etiam de eo, quod necessarium videatur, tibi aliquando defuerit, sicuti boni religiosi, qui meam sectantur paupertatem, faciunt! Terrenorum ergo bonorum onere te exonera, et ipse te caelestibus maxima animae tuae consolatione adimplebo.

Caput VI.

De patientia.

Quanti momenti sit christianae patientiae exercitium et usus, intelligere, fili mi, non poteris, nisi singularem ad hoc ipse tibi gratiam et lucem suppeditem.

Inaestimabiles sane sunt thesauri, qui per eam comparantur, et magna est ipsa vitae perfectio, ad quam servi mei laboribus gravissimis et tribulationibus exercitati perveniunt. Grave et durum

[1] Mt 19, 27.

saecularibus videtur pati, eo quod crucem meam exosam habent; at virtutis huius excellentissimae honestas et praemium tanta sunt, ut quo tantum bonum acquiratur, quidquid cum caro tum mundus suggerit, libenter despiciendum sit.

Considera vero, quid et quantum ipse passus sim, quod dum servi mei ad mentem revocant, non possunt non maximo stupore compleri; et cogita hanc passionum et tribulationum mearum multitudinem de necessitate absoluta non fuisse, perinde ac si mundum minora quaedam subeundo tormenta redimere non potuissem — haud dubie id non incommodo facere poteram —, sed idcirco id a me factum, ut perfectus fierem cunctis patientiae magister et imbecillioribus in vita aeterna comparanda animos et robur adderem. Unde factum, ut tot generosorum pugilum ac beliatorum post me agmina traxerim, qui nec per persecutiones nec per morbos gravissimos nec per tentationes horribiles, immo ne per mortem quidem ipsam a suo divulsi sunt proposito nec generosum illum et ad omnes mundi adversitates pro me subeundas resolutum animum exuerunt. Quod adeo admirabile divinae gratiae et potentiae meae opus fuit, ut non id caelestes modo, sed et inferi non parum obstupuerint. Cum nempe saepissime tam viros quam feminas teneras et imbecilles viderent summa cum perseverantia et vitae innocentia et extremam inopiam et diuturnos morbos nec non cruciatus acerbissimos, famem, sitim, frigus, calorem et quidem longo tempore, ad haec interiorem maestitiam et derelictionem spiritus, quin et importunas et molestissimas ad annos plurimos tentationes tolerantes, ita quidem, ut et caelum et terra adversus eos coniurasse viderentur; et cum nihilominus

interritos et infractos eos in hisce malis stare cernerent neque gravibus ullis interim culpis in me peccare, quin et nobilissimos tunc virtutum actus exercere: cum inquam haec attentius considerarent, negari non potest, quin hanc maximopere constantiam demirati sint.

Hi sunt generosissimi exercitus mei milites, quorum ego servitium et constantiam in meam cedere gloriam confiteor. Hi veri sunt unitatis Dei competitores, qui mei causa ne hilum de commodis, sanitate ac vita temporali laborant. Hi sunt sinceri et intimi amici mei, quos in gratiae meae divinae laudem et commendationem maximis periculis et tentationum incursibus obicere soleo.

Unica fidorum servorum meorum gloria haec est regni mei aeterni comparandi ergo molestias, labores et angustias gravissimas excipere. Audi, carissime, vocem illam iustorum: *Posuisti*, inquiunt, *tribulationes in dorso nostro; imposuisti homines super capita nostra*, qui nobis dominarentur. *Transivimus per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium*[1].

Potueram quidem ipse bellatorum meorum ac pugilum vel gravamina imminuere vel eorum poenas multis partibus allevare; sed ingens, quo in eos feror, amor in causa est, cur eos proeliis et conflictibus obiciam, quo nimirum praeclarissimas sibi coronas maiore gloria sua et gaudio comparent. Dic mihi, fili, quanto maiori Davidi amico meo fuerit gloriae et gaudio in duellum cum Goliath descendere et in conflictus huius angustias sese conicere, quam, si submisso de cae-

[1] Ps 65, 11 12.

lis angelo immanem hunc populi Dei hostem profligassem. Non vides, quanto illi et quaestuosius et illustrius fuerit cum gigante pugnasse, eum expugnasse et deinde cum eiusdem capite praeciso ad suos universo Israele in eius occursum properante et laetis acclamationibus et canticis victoriam eius celebrante revertisse? Quando iustus aliquis poenis gravissimis longo tempore exercitatus in regnum meum ingredietur, quanto maiori futurus erit illi laudi et gloriae honorificus ille caelestis Ierusalem occursus et plausus, a qua eiusdem celebrabuntur victoriae, quam si eum sine certamine et pulvere nullisque debellatis hostibus inglorium coronis meis donarem? Quanta tunc anima suavitate intus perfundetur, quando ad vitae arborem manum suam extendet et dulcissimum illum ex ea fructum decerpens, ut eum deinde mensae meae accumbens comedat, dicet: «Vitalissimum hunc cibum multis mihi ipse laboribus et sudoribus comparavi oblatae mihi a Domino Deo gratiae cooperando!»

Efficacissima haec ad patientiam exercendam motiva perpende, fili, et gratum tibi accidat et dulce tentari interdum ac velut aurum in fornace adversitatibus probari. Si enim mecum compateris, mecum etiam pariter glorificaberis beatissimae gloriae meae redditus conformis.

Caput VII.

De poenitentia.

Una de praecipuis, quas erga peccatores declarare soleo, misericordiis, carissime fili, est, quod eos mox, ut in me peccatum aliquod admiserunt, in infernalem carcerem non detrudam, sed tempus

eisdem resipiscendi et ad poenitentiam eos exspectem. In quo infinita bonitas mea manifeste elucet, quod, cum ad iuste in eos animadvertendum sim provocatus, adeo tamen eo rigore non utar nec in eos, a quibus gravissimis affectus sum iniuriis, iustam vindictam exerceam, ut etiam incredibili quadam benignitate iis benefaciam diversas illis inspirationes immittendo, modo quidem via timoris modo via amoris et ad mecum sese reconciliandos et amicitiam meam eos amicissime invitando adeo, ut nullus meus procedendi modus mihi sit gratior, quam ut hi in gratiam mecum redeant et praeterita damna et iniurias resarciant et suum ad aeternam gloriam, ad quam eos creavi, ius recuperent. Nollem sane, ut sua me duritia et obstinatione cogerent ultionis gladium in manus accipere, quem in eos ceu pervicaces et obduratos maleficos benignitate se mea et clementia indignos ostendentes evibrarem.

Hic procedendi modus tantam dulcedinem spirat, ut durissimum etiam peccatorem ad cordialem poenitentiam de delictis concipiendam excitare debeat, sicut etiam apostolus meus sensit, dum scribit: *An divitias bonitatis eius et patientiae et longanimitatis contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad poenitentiam te adducit?*[1] Et sane, si per hanc benignitatem meam, quae gratuitae cuiusdam benevolentiae species est, quam erga filios Adam exhibui, peccator non emolliretur, saltem per gravissimum illud damnum, quod sibi peccando attulit, ad sinceram quandam contritionem eum oportet promoveri.

[1] Rom 2, 4.

Erat enim ante adoptivus Dei filius, et per unum crimen letale factus est diaboli mancipium. Habebat quoque candidissimam et pretiosissimam divinae gratiae vestem nuptialem et hanc sibi in momento exuit et infelicissima quadam nuditate nudus mansit. Habebat ius ad hereditatem aeterni regni mei, et sempiternorum in inferno cruciatuum reatum incurrit. Erat ad haec anima divino meo splendore et rutilantissimis virtutum mearum luminibus pulcherrime luminosa, et ecce turpissima, foedissima et oculis meis intolerabilis facta est. Magnam cum sanctis et caeli incolis habebat familiaritatem et divinae caritatis cum vivis corporis mystici, Ecclesiae, sponsae meae membris unionem, et omnium factus est inimicus illud detestans, quod illi amant, et illud amans, quod ipsi abominantur. Ambulabat per viam vitae et postea per viam perditionis currit, cum peccata multiplicando tum suum omni momento remedium atque ereptionem difficiliorem reddendo. Sub mea habitabat protectione et custodia, et sensum suum mutando inquietam sub peccati et diaboli tyrannide vitam trahit.

Vide ergo, fili mi, quaenam haec tragoedia sit, quamque merito peccatorum tuorum poenitere debeat et ipse ad me tuae saltem utilitatis et consolationis causa converti, si id propter me et mei gratia facere nolis.

Verum est illud prophetae mei Ieremiae: *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est*[1], nusquam reperiens, in quo firmiter consisteret. Homo peccat et a me, qui vera sum requies, centrum et firmitas animae eius, recedit et,

[1] Thr 1, 8.

quantocumque labore ullum extra me quaerat refrigerium, frustra laborat et contendit nec feliciter illi succedit. Una vero illi quietis inveniendae suppetit ratio, sc. ad me reverti.

Si quando aliquod in corpore humano os loco motum et laxatum est, gravissimos homo patitur dolores et, quaecumque demum hominum industria adhibetur, nihil aut parum omnino proficitur; nullum quippe aliud doloris tollendi remedium est quam ipsum os suo loco restituere, etsi id summo cum dolore futurum sit.

Ego te infinita quadam cum benignitate percipiam, quamvis peccata tua super numerum arenae maris multiplicata sint. In me offensa commissa est, et ego te praevenio et ad reconciliationem invito; quid ergo cunctaris? Quid metuis? Aliud praeter me timere non debes, qui ob commissa scelera te perpetuae possum damnationi addicere; at cum ut certissimum praesupponendum sit, non aliud me quaerere, quam ut salutis te participem reddam teque amicum carissimum efficiam, te subtrahere minime debes, cum non timoris cuiusdam servilis, sed amoris filialis ad hereditatem meam te adsciscendo occasiones tibi offeram.

Quam ob rem e peccati servitute, a qua opprimeris, egredere et ceu filius quidam prodigus universa substantia tua dilapidata ad patris domum revertere; qui statim ac te deformatum ac nudum videbo, tui commiseratione tangar et, ut primum ad me ex corde suspirare coeperis, nova te veste donabo et caelicorum gaudiorum ob recuperatum filium meum carissimum convivium instituam. Peccatum itaque detestare ipsumque in te puni, et anima tua novam induet formam; spes et gaudium cordis mei uniti renascentur et quam velocissime per aeternae vitae viam et expeditus curres.

Caput VIII.

De gratitudine.

Etsi omnes arborum frondes in linguas singulari ad hominis conceptus exprimendos eloquentia praeditas transirent, ineffabilibus tamen beneficiis meis, quibus eum praeveni eumque ad me in aeternum diligendum et colendum obligavi, pro dignitate explicandis minime sufficerent. Ut nempe naturalia taceam beneficia, quo gratiis, quae maiorem gratitudinem exigunt maiorisque ponderis sunt, considerandis plus inhaeream; quamvis aliud tibi, fili, beneficium non contulissem, quam quod ab aeterna te damnatione, in quam hoc momento vel ob unum peccatum mortale coniectus esses, eripuissem, adeo tamen id sublime, eximium et ingens foret, ut ob hoc unum mihi in sempiternum servire deberes etiam, quamvis perpetuo te carcere detinerem et eam quotidie a te servitutem exigerem, quam filii Israel in Aegypto gravissime oppressi serviebant. Tam enim haec servitus quam alia, quaelibet vitae huius poena nonnisi blandum quoddam exercitium est, si cum cruciatu et tormentis, quae modo in infernalibus flammis patereris, comparantur.

Haec summae et cordialissimae gratitudinis ratio in fide divina fundata est, et nosti, si vel unius delicti mortalis te conscientia insimulet, eam adversus te certissimum dare testimonium teque irrefragabiliter convincere.

Posito vero actualiter te ita in me non deliquisse, poenam tamen damni incurrere poteras, quandoquidem in peccato te originali emori sinere potuissem, sicut plurimi alii pueri in eo demortui

sunt; itaque meo conspectu tibi in aeternum carendum fuisset.

Sed hoc ipse minime sum passus, quod suavissimae misericordiae oculis te infinita bonitas mea gratuito respicere dignata sit. Quid igitur de singulari hoc beneficio dices, carissime? Quam post tam immensam caritatem mihi gratitudinem debes? Si iam apud inferos sempiternis in ignibus arderes et a facie mea te aeterna quadam abominatione et excommunicatione iam repulissem, quid tibi futurum esset?

Plura profecto hic non afferrem, si satis tibi lucis ad validissimam rationem ponderandam foret. Sed ut ad mirabile Patris mei quoad redemptionem tuam consilium descendam: tanta tamque excellentia, quae te, ut gratum te ei exhibeas, violenter quodammodo compellunt, hic invenies, ut, nisi ad ardentissimo quodam affectu mihi serviendum accendaris et movearis, saxis et adamantibus sis durior. Ego tui causa humanam carnem assumpsi, tametsi alio te modo salvare potueram; summa in paupertate pro te et natus sum et vixi summam maiestatem meam copiosissimae misericordiae, quae ad tuam solummodo consolationem et felicitatem referebatur, adinventionibus velando. Gravissimas pro te passus sum iniurias et dolores in passione et morte mea amarissimos, ut sc. iis in salutem te assererem teque aeterni Patris mei adoptivum filium efficerem. Admirabilia quoque in remedium et reparationem tuam institui sacramenta atque imprimis caelestem illum et vitalem eucharistiae panem, quo eius adminiculo arctissime te mihi conecterem. Ordinariis ad haec et secretis inspirationibus te visitavi, quo tibi regni mei amorem inicerem, perinde ac si tuo ipse opus

haberem consortio et sine te regnare neutiquam possem. Angelorum item tibi custodiam ac beatissimae Virginis Matris meae protectionem assignavi, sanctorum addidi intercessiones et Ecclesiae, sponsae meae sanctissimae, quae salutis tuae non mediocrem curam gerit, preces. Fidus tibi ad haec auxiliator adsum adversus daemonem, mundum ac passiones tuas confligenti, quo permultas de iisdem referas victorias ipseque tibi tandem coronam dem iustitiae. De bonis temporalibus item ad vitam trahendam necessariis tibi quam liberalissime prospicio, in quantum illa tibi sunt ad vitae aeternae conquisitionem necessaria. Denique dona et misericordias meas incessanter in te depluo, idque etiam tum feci, cum actualiter in me offendisti, paratus semper tibi, quoties gratia mea praestimulante ad me recurres, manum auxiliariam porrigere.

Quomodo igitur in lacrimas totus non resolveris, cur me vita et anima tua cariorem non habes, cum multo me erga te liberaliorem ac fideliorem quam tu erga teipsum ostendam? Non itaque abs re de te queri possim, uti olim per prophetam meum de ingrato populo meo Israel: *Numquid* ut sterilis *solutido*, quae fructum nisi culta non profundit, *factus sum Israeli, aut terra serotina*[1] fructum quidem, sed serius proferens? Minime gentium; sum enim in gratiis et beneficiis caelestibus afferendis fertilissimus. *Quare ergo dixit populus meus: Recessimus, non veniemus ultra ad te?*

Mirum sane et stupendum id est, fili, quod, cum per divinae fidei lucem noris non habere te

[1] Ier 2, 31.

patrem, matrem, sponsam immo nec animam, quae mecum queat in gratia tibi et misericordia exhibenda conferri, non magis ad me per veram quandam gratitudinem accurrere festines fidelitatisque mihi te velis sacramento obstringere.

Historicorum fide dignorum relatione constat feras etiam immanissimas beneficiis cicurari et mansuescere, ipsos etiam leones interdum ob demptam e pede saucio spinam vel ob ipsos e conflictus cum draconibus discrimine liberatos aliasque feras beluas erga benefactores suos catellorum instar mites et mansuetas vel quolibet locorum eos comitando vel ab eorum pedibus numquam recedendo se ostendisse. Nosti — quod quotidianum id fit — domesticos pauperum herorum canes ob frustum aliquod panis mucidi atque aridi, quod interdum ab ipsorum accipiunt manu, tam ardenter erga hos affici tantamque gratitudinem declarare, ut si quando eos aliquando ex oculis amiserint, continenter magni doloris dando signa ululent, immo ne tum quidem quiescant et suo benefactorem ululatu requirere desinant, cum ab alio quolibet benigne blandeque habentur et meliores sapidioresque, quam ab hero solebant, cibos recipiunt.

Quomodo igitur a me ipse abesse potes? Quomodo non doles me amisso? Quomodo te tot tamque eminentibus ac raris beneficiis, quae a me accepisse te nosti, pertrahi non sentis? Noli, fili, aquae vivae fontem derelinquere, noli tibi cisternas in dura vitae mortalis silice fodere aut quaerere! Ego te creavi, redemi, guberno et regio mensae meae cibo enutrio. Ego mea te causa non quaero, sed ut mea tibi continenter et assidue communicem bona, quae, etsi continuo ex infinita liberalitate, quam erga homines, quos amo et ad

clementissimi Patris mei hereditatem perducere conitor, exhibeo, non idcirco minus affluunt. Offer igitur mihi hostias laudis ac divinas misericordias in aeternum decanta teque quam maxime obligatum agnosce, qui perpetuus mihi sis servus, et ego te vicissim beatissima Ierusalem caelestis, quae Dei vivi civitas est, libertate donabo.

Caput IX.

De abstinentia et sobrietate.

Ex quo primi parentes tui de vetito cibo comederunt, in gulam et ebrietatem humana natura semper prona propendit et ab arboris verae vitae fructu reddi coepit alienior haecque effrenis passio ita exinde in hominibus excrevit, ut de ea compescenda numquam fuerint solliciti atque adeo in extremam quandam mentis caecitatem eo duce prolapsi sint meque quadam cordis duritie, quae sedulo considerantibus admirationem moveat, negare ausi sint. Populum ego meum per desertum deducebam eumque ceu filium primogenitum cibo alebam caelesti; at ipse aliis magna quadam ingluvie cibis inhiavit, cumque iis habitis incrassatus et oppletus et gravatus esset, a meo cultu obsequioque descivit. Quin et hac ipsa aetate novissima multae nationes nimis gulae et crapulae addictae magno Ecclesiae meae scandalo quantam fidei catholicae iacturam fecerunt! Cuius mali ratio est, quod, cum corpus cibis distenderent eosque lautiores semper appeterent et nimio vino hausto mentem iudiciumque opplerent, pecuini ac brutales facti sunt, cumque sensuali huic delectationi iam assuessent, eam tandem ut bonam ore

defenderunt intellectuque exinde obscurato voluntateque infirmata in multos errores detestabiles prolapsi sunt.

Non sine ratione olim de populo illo veteri scriptum est et de non parva novi portione repeti potest: *Incrassatus est dilectus, et recalcitravit*; *incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, et recessit a Deo salutari suo*[1]. Venter oppletus et cibo distentus ingenii mentisque vivacitatem obtundit atque impedimento est, quominus caelestia contempletur; ipse hominem pecuinum reddit et de sola danda appetitui suo satisfactione sollicitum, divinarum ac spiritualium rerum creat nauseam, ad carnalia verba colloquiaque linguam provocat, hominem denique iuratum crucis meae hostem efficit. Intellexit id probe apostolus meus ipsumque cum lacrimis declaravit sic loquens: *Multi enim ambulant, quos saepe dicebam vobis — nunc autem et flens dico — inimicos crucis Christi, quorum finis interitus; quorum deus venter est*[2] — adeo quidem, ut gulosi ventris sui quodammodo sint idololatrae, quem non aliter colunt, ac si ipsorum esset Deus. Non potest intemperantiae malum et pestis magis exaggerari.

Hanc ob causam amici mei, quibus morte ipsa videtur gravius ac perniciosius a me desciscere, vitium hoc remis velisque fugiunt atque illustrissimas de seipsis referunt victorias; hinc sobrie ac parce comedunt et bibunt, non aliter sc., quam ut corpori ad mihi serviendum vires sufficiant. Et tunc quidem non lectos exquisitosque sectantur cibos, sed secundarios, simplices et simpliciter ac-

[1] Dt 32, 15. [2] Phil 3, 18 19.

commodatos. Si quando mensae accumbunt, animum ab escis divertunt, ne ullam ex iisdem voluptatem hauriant. Non raro etiam diversas adhibent industrias ad naturalem ciborum saporem imminuendum sicut vitae spiritualis magistri a me, qui temperantiae exemplar sum, inspirati, scriptis et ore tradiderunt.

Si autem scire velis, carissime, cur hi continuam hanc adversus gulam luctam suscipiant, respondebunt eum, qui cibos degustare et comedere caelicos volet, se in terram escae terrenae sumptione mortificare debere et animam deliciis intendere caelestibus minime posse, si cibo gravatum corpus eam deorsum trahit et ad delectationes terrenas rapiat.

Iuxta hanc doctrinam castam et sanctam religiosi ordines, in quibus regularum floret observantia, magnam in suis refectionibus ad primorum patrum et vitae monasticae fundatorum, qui gratia et auxilio meo adiuti res sane fecere mirabiles, exemplum moderationem adhibent.

Unde si ad regnum caeleste aspirare velis et meam etiam in terris degustare suavitatem, effrenem gulae ebrietatisque licentiam sequi noli, sed tuum quotidie assuesce et disce gustum mortificare et ut tui ipsius dominus mensae accumbe, tibi imperando et ex sanctorum meorum, quorum famem et sitim suavitate et satietate mea satis ample compensavi, disciplina te dirigendo. Noli imitari Esau, qui vili quodam edulio et esca primogenita sua divendidit, sed fidelissimum servum meum Danielem, qui ciborum a Babylonio rege oblatorum deliciis inquinare se noluit, et ego tibi in conflictibus robur et animos subdam et ad suavissimam sapidissimamque familiaritatem meam te

admittam et post relatas de te ipso victorias gustumque expugnatum ad fructum arboris vitae manducandum, et, ut consolationum divinarum torrente inebrieris, ascendes.

Caput X.

De modestia atque imprimis oculorum.

Veri servi mei ad exemplar se suum virginali quadam in omnibus actionibus suis modestia componunt, serio caventes, ne quid in verbis, incessu, in stando, in sessione aliisque actionibus omnibus faciant, quod vel meos vel proximorum oculos offendat; maximam tamen in oculis custodiendis industriam et artem adhibent, per quos nempe interdum in animas parum cautas mors ingreditur, uti in Evam olim ingressa est, quando suos in arborem scientiae boni et mali coniecit et intuendo ad praeceptum meum praevaricandum pellecta est. Hanc ob causam, qui spiritui incumbunt colendo, oculos demissos habere student, nihil ut incaute incircumspecteque timorem meum animo excludentes respiciant, uti iis in religiosis ordinibus videre est, quibus disciplina monastica integra constat, in quibus oculorum custodia velut primaria disciplinae monasticae pars novellis servis meis quam maxime induitur.

Quod non sine divino quodam fit consilio, ut nimirum hi oculos comparent interiores, qui eo esse solent et perspicaciores et defaecatiores, quo sunt exteriores magis mortificati, quemadmodum non pauci de famulis meis per experientiam norunt, qui propter me amabilium sese rerum conspectu sponte privant, quibus alia longe pulchriora

et usui delectabiliora in intimis cordis penetralibus revelo et retego, per quorum visum interius valde illuminantur, corroborantur et ad heroica quaedam propter gloriam meam suscipienda opera habitum et consuetudinem acquirunt. Hoc porro modestiae exercitium multorum meritorum fecundum est; ut nempe impingendi per oculos occasiones innumerae sunt, ita etiam bonorum et generosorum bellatorum victoriae plurimae sunt.

Multa rara quoad hoc in vitis sanctorum meorum legere exempla est, quos etiam boni ferventesque religiosi imitari gestiunt. Hic siquidem aliud videre non avebat, quam quantum erat necessarium, ne in terram inter incedendum prorueret; ille nullum, quicum loquebatur, in facie respiciebat; alius numquam fenestram in hortum prospectantem aperiebat; alius denique ab aliis rebus licitis, quas sine culpa intueri poterat, videndis abstinebat. Hoc ad cautelam et progressum in vita spirituali mirifice facit, cum ut interior animi quies et tranquillitas conservetur, tum autem ut rerum vanarum imagines, quae licenter intuentis mentem distrahere solent, excludantur. Hi servi mei multa mihi quotidie gratissima offerunt sacrificia, quae, quamvis a mundo coram non videantur, sua tamen propterea laude non frustrabuntur, quia haec in iudicii mei die palam omnibus aperiam.

Haec imitari tu debes, si rerum caelestium contemplationi vacare cordis puri et sereni oculis velis.

Ut vero monitum aliquod et motivum efficacissimum, quod sanctorum omnium et virginum purissimarum modestiam transcendit, tibi dem, considéres velim ad oculos tuos refrenandos, quod de me, cum in terra inter homines conversarer,

notarunt et conscripserunt evangelistae, sc. oculos me nisi gravissima exigente occasione in altum sustulisse, sed eos humi defixos ad exemplum et imitationem tuam tenuisse. Quid sensisses, si me, dum in terris conversarer, per plateas et vicos Ierusalem magna quadam modestia et ea exteriore corporis compositione, qua virginem et Virginis filium decebat, incedentem vidisses, oculos ad ea, quae gerebantur ab aliis, neutiquam deflectentem, etsi, quamvis oculos quocumque libere coniecissem, nullum inde anima mea detrimentum accepissem; ut taceam intuitu meo me miram omnibus, quos aspiciebam, modestiam ingenerare solitum? Hoc constat, exquisitam hanc modestiam meam minime fortuitam aut temerariam fuisse, sed summa sapientia et consulto admodum a me adhibitam, ut nimirum te instruerem mihique similem redderem.

Cum itaque, fili mi, tantas a visu licentiore plagas accipias, firmiter tecum propone — quod ad vitam spiritualem permagni interest — temere huc et illuc magna cum licentia oculos tuos non conicere, sicut amicum meum Iob fecisse constat, qui de se sic ait: *Pepigi foedus cum oculis meis*, ne incaute hinc inde evagarentur, ne parum castae hinc in corde cogitationes orirentur, *ut ne cogitarem quidem de virgine*[1]; adeo, ut hic, quo cor purum et haberet et conservaret, necessarium sibi censeret hoc cum oculis suis foedus pangere, ne temere evagandi sibi licentiam assumerent. Da operam, carissime, ut in hoc conflictus genere illustres de te victorias referas, noli aliquas e rerum terrenarum et corruptibilium visu aspectuque delecta-

[1] Iob 31, 1.

tiones captare, sed ad caelestes et ad incorruptibiles aspira et praeter praemium, quo divinitatem interioribus animae oculis a gloriae lumine illuminatis videre dabitur, aliud tibi praemium oculis illis corporeis proportionatum conferam, quod sc. pulcherrimum corpus meum coram cernes, cuius pulchritudo, quidquid in terra pulchrum est, longo superat intervallo, et regis tui conspectu anima tua et corpus maximopere recreabuntur

Caput XI.

De silentio.

Qui mihi esse familiaris cupit, cum hominibus parum admodum loquatur necesse est et arcae cuiquam clausae sigilloque meo obseratae fieri debet similis.

Simul non consistunt loquacitas et mea interior communicatio. Nam ut quotidiana evidens fit experientia, nimia locutio multarum est imperfectionum occasio et in causa est, cur pretiosissimum devotionis et recollectionis interioris balsamum effundatur ac diffluat, animaque veluti publicum quoddam fiat forum, in quo tumultus et strepitus cordis paci et quieti contrarios audire sit. Interiore sane is pace et laetitia carebit, qui dissolute ac libere loquitur, neque sapientiae meae liquorem, qui in vasis pertusis et undique perfluentibus nequit contineri, excipiet.

Hanc ob causam servi mei eo ipso, quo vitae sese spirituali applicant et divinae sapientiae acquirendae incumbere proponunt, ad strictum adeo sese putant silentium obligari, ut de rebus necessariis vix loquantur, veriti, ne ab illis paulatim ad superfluas dilabantur.

Ab hoc timore et familiaritatis ac communicationis meae desiderio ortum habet sancta illa aliquorum industria et artificium, qui, quo sanctum et castum servare silentium meminerint, lapillum aliquem ori velut frenum inferunt aut funiculum brachio vel catenulam corpori circumdant.

Ego sane, quamvis verbum vel sermo sim Dei et quamvis me in mundum veniente humana natura doceri a me, qui aeterna et infinita sum sapientia, maxime opus haberet; triginta tamen annis tacui et nonnisi tribus sum locutus, adeo ut decuplo plus temporis silentio quam locutioni etiam verborum vitae impenderim. Quid vero de hoc Patris mei consilio dicam, fili? An verba mea vitalissima mundo imprimis et quam maxime necessaria non erant? Anne periculum, ne ipse cum hominibus agendo vana et inutilia loquerer? Nonne ego magister eram et lux mundi iam inde a primo ortu meo? Nihil minus. Quomodo ergo Pater meus tanto me voluit tempore silere et tam pauca loqui? Ingens haec profunditas et abyssus est, in qua sapientissimi et illuminatissimi quique servi mei consideranda absorbentur. Quod enim doctrinam me caelestem proponere vident, aequissimum et convenientissimum censent, si se magister a discipulis audiri faciat atque hominum auribus verbum Dei insonet; sed hocce verbum a nullo audiri, ipsam sapientiam Dei obmutescere et tot annis silentium servare adeo id iis mysterium videtur impenetrabile, ut, quid ad hoc dicant, non habeant et non possint non summopere admirari. Atque hac cum admiratione simul sese humiliant et confitentur, cum hocce meum silentium ab aeterno fuerit a Patre meo decretum et approbatum, necessario dicendum hanc meam tot annorum taci-

turnitatem ad hominum instructionem permagni momenti videri nec minus redemptoris et doctoris mundi officio hocce meum silere dignum esse quam verba vitae aeternae protulisse. Quod colligere manifeste ex eo licet fructu, quem in eximiae sanctitatis viris, quos spiritu sapientiae et intellectus replevi, stupendum hocce silentium mundo peperit. At si ulterius, carissime, meum excutere ac ponderare silentium velis, memento temporis illius, quo iam a morte non procul aberam, quando gravissima vitae meae causa in hominum tribunalibus disceptabatur, et perpende, quomodo coram iudicibus obmutuerim summamque modestiam praetulerim. Rabie quadam daemoniaca adversarii mei me accusabant, cumque omnis illis mortis meae dilatae mora quam longissima videretur, summa idcirco contentione instabant et Pilatum urgebant veriti, ne ipsorum manus evaderem. Ego autem ad omnia ne verbum quidem in defensionem meam respondebam, unde mihi Pilatus ipse ait: *Non audis, quanta adversum te dicunt testimonia?* [1] Quin etiam ad haec tacui, ut evangelista meus dicat: *Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer* [2].

Si ergo gentilis et infidelis meum demiratus silentium est, cur id tu, carissime, non consideras? Cur non siles? Cur non exactus silentii es observator? Ego tacui non quidem in casu communi et ordinario, sed in eo, in quo vita mea in discrimen vocabatur, cuius causa tum disceptabatur; tu vero, etiamsi vel de oboli iactura agatur, licenter loqueris et interdum etiam nulla spe lucri affulgente, quin etiam magno animae tuae damno.

[1] Mt 27, 13. [2] Ib. V. 14.

Quando autem ad teipsum reverteris, quando ad cor tuum intrabis, quando ad conscientiae remorsus, quos inordinata, quae loqueris, verba generant, advertes?

Dico tibi in veritate, etsi nec exemplum meum nec tot sanctorum, qui meum sunt silentium imitati, huc te invitare deberet, ipsam saltem animae inquietudinem, quam post verba inconsulto effusa sentit, praesertim, quando mecum actura secessum captat, silentii tibi debere amorem ingenerare. Omnem quippe illam quietem, quam spiritualibus multorum dierum comparat exercitiis, uno saepe perdit verbo inordinato, et interioris serenitatis, quae inhabitationis ac praesentiae meae signum est, facit iacturam. Et si nec interiore hac pace moveris, aliorum saltem hominum reputatione et aestimatione moveare, cum mundani etiam homines tacitos parumque loquentes magni faciant et extollant, eos ut cordatos et prudentes, ut quotidiana constat experientia, habendo.

Si itaque ob cum divinos tum humanos intuitus tanti tua intersit tacere, fili, terrenas posthac familiaritates derelinque et caelestibus te dispone! Ego tuam conversationem et consortium volo; ergo solitudinem capta et mecum in locis secretis orationi habendae destinatis loquere; ibi invoca me, et ego tibi respondebo, et plus tibi proderit maioremque recreationem affert unicum verbum meum, quam si omnes, qui in terra sunt eloquentes, multo tecum tempore te recreaturi et consolaturi agerent. Esto fidelis usque ad finem, et tua ego remuneratio, salus et vita ero.

Caput XII.

De resignatione.

Gravissime errant filii Adam, dum me suae obsecundare voluntati volunt, meae autem ipsi sese conformare nolunt. Statuunt ipsi vendere, emere, negotiari, navigare, aliquo aspirare omniaque disponere, non quidem indifferenter sese habendo ac divinae sese voluntati resignando, si forte aliquid secus eveniat, quam desiderent, sed suum determinate affectum ei, quod sibi convenire existimant, applicando. Ad hoc et ipsi me orant et a servis meis orationes fieri petunt necnon alias ea de causa adhibent diligentias, quae ipsis et salutares et piae videntur. Unde si deinde, quod praestituerant, non eveniat, ita deici animo et contristari solent, nulla ut ratione leniri et consolari queant; expostulant quoque de me, quasi adeo ipsos non amem, ut etiam odii et abominationis cuiusdam signa erga eos ostendam, seque infelices dicunt, quod temporalia sibi ad votum ac, prout vellent, non succedunt.

Ingens haec miseria et caecitas est et christiano homine, cui tot ego in rebus maioribus dignioribusque amoris et misericordiae argumenta declaravi, prorsus indigna. Anne credendum eum, qui servo suo aurum purissimum procurat, ei de luto, si id ipsi utile foret, non prospecturum? Si ergo divina bonorum spiritualium beneficia christiano contuli eique ad divitias aeternas comparandas ius dedi, quomodo verisimile sit me in carnali aliqua affinitate, in aliqua frumenti, ferri, alteriusque rei negotiatione, auxilio et ope mea illi non affuturum, meque rem non ita directurum, ut, quod proposuit,

feliciter succedat, si modo ad bonum animae id conducat? Quando, o generatio adultera et incredula, de infinita bonitate mea recte probeque senties?

Quo enim erga homines sum amore, is tam magnus est, ut haud dubie res omnes temporales ad votum eorum fluere sinerem, si ad salutem hae ipsorum conducerent; at cum ego optime norim has non raro illi adversari ac minime convenire et longe conducibilius esse id, quod voto ipsorum ex diametro repugnat, ita omnia dispono, prout verum ipsorum bonum et salus exigit, etsi alioquin aliqua afflictio vel temporalis adversitas simul illis subeunda sit. Agnoscunt et norunt id servi mei, quos morbis, tentationibus aliisque soleo tribulationibus exercere, causam, cur id fiat a me, curiose non inquirentes, sed universum meae voluntati et mirabili providentiae committentes; hancque resignationis doctrinam tam fideliter apprehendunt, ut, sive anni tempestas sterilis sit sive fertilis, sive pestilentia saeviat sive bene omnes valeant, sive honorentur ab aliis sive contemnantur, ab illa animi constantia et filiali in me affectu ne latum quidem unguem recedant, nec minus sibi persuadeant a me sese diligi, quando ad inopiam redacti sunt, quam dum opibus circumfluunt. Unde consequitur, ut magnam et incredibilem quandam in animo pacem sentiant, adeo ut, si optio ipsis daretur eligendi sibi aut prospera aut contraria, numquam aliud eligerent ab eo, quod sibi accidit, quod beneplacitum meum permagni faciant et de bonitate mea certi sint, nimirum magis me de suo ipsorum bono esse sollicitum et fidelius id illis velle, quam ipsi sibi vel faciant vel optent. Hanc doctrinam cum probe intelligant, intelligunt item verba

illa amici mei Iob, quae viso se in momento et uno tempore omnibus simul bonis temporalibus spoliatum et variis gravissimisque afflictionibus oppressum ad uxorem, a qua ad mihi maledicendum deque me expostulandum incitabatur, protulit dicens: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es; si bona suscepimus de manu Dei, mala,* i. e. adversa, *quare non suscipiamus?*[1]

Si haec interrogatio mundi amatoribus proponeretur, responderent haud dubie non parum inter se differre temporales a me favores recipere et poenas; at Iob et alii sinceri amici mei nullam prorsus rationem inveniunt, ob quam alio longe sit affectu ab ipsis adversitas quam immissa a me prosperitas admittenda, quia ei, qui vere me amat, utraque ab uno eodemque principio sors dimanat.

Hoc porro praesupposito, fili mi, omnia tua mihi remitte; nihil ama, quod non ante noris, num tibi futurum sit bonum; noli praeeligere id, quod non praescias, an meae sit voluntati conforme; sed placeat tibi omne id, quod facio, etsi alioquin tuo appetitui quam maxime repugnet! Voluntatem liberam habes, quae per gratiam meam mihi conformari etiam in rebus durissimis potest; ergo cura, ut nobili hac potentia non aliter quam in bonum utaris neve contristeris, si aliquam in parte tua inferiore eventibus adversis contradictionem et repugnantiam sentias; si enim legitime certes, plurimas tibi coronas comparabis! Et veniet sane tempus, quo per meam gratiam tantum tibi placebunt adversa quantum prospera, idque ex amore meo, qui etiam per resignationis huius ex-

[1] Iob 2, 10.

ercitium in dies augebitur. Omnis quoque voluptas tua erit, ut pure meum fiat beneplacitum, cumque ipse certissime noris id solum, quod ipse statuo et volo, eventurum et non aliud, semper amplissimam gaudendi et ex corde exsultandi occasionem habebis. Divitiae aeque ac paupertas, non minus fama quam infamia, morbus iuxta ac valetudo, tam mors quam vita aequalis tibi consolationis futura sunt occasio, et in hoc summa sita perfectio est, per quam amplissimam mercedem et aeternam gloriam meam adipisceris.

Caput XIII.

De oratione.

Beatus ille, qui familiaritatem meam et conversationem quaerit seque mihi dedicat omne suum tempus in laeta Dei facie et unico bono suo inquirendo impendere gaudens. Beatus, qui negotioni et mercimoniis deditae Tyri strepitum deserit et in suavissimum montem Sion, ubi regnat pax et silentium, confugit et secedit, in quo cum attentione suavissimae illius divini spiritus mei aurae flabrum percipiat.

Si scires, fili, quam pretiosum sibi comparet bonum ille, qui divino orationis exercitio intendit, sapientem et providum illum imitareris in evangelio negotiatorem, qui omnem suam divendidit substantiam, quo pretiosam illam, quam invenerat, margaritam compararet.

Memento veterum illorum solitariorum illustrium fama et sanctitate virorum nec non eorum, qui nostro hoc saeculo floruerunt; quorum si vitae seriem inspicias et notes, continuo dices orationis

studio praecipuam beatitudinis ipsorum partem adscribendam videri. Gustarunt sc. lac et mel meum, et viderunt, quanti sua interesset mecum per orationem agere, atque hac de causa nocturnum captarunt silentium et sollicitudinis latebras ob hoc vitae genus beatos sese existimantes, quamvis ipsum alioquin cum tanta fuerit asperitate et poenitentia coniunctum, ut sui amatores in admirationem rapiat.

Exercitii huius caelestis manna absconditum est, at poenitentia publica, atque ideo mundus timore eorum, quae forinsecus videntur, deterritus fugit et thesaurum latentem et qui non videtur, quaerere detractans ad carnales sese rationes dirigit et gubernat, cum tamen christianus iuxta rationes fidei sese regere ac vivere debeat. Ne credas quibusdam christianis delicatioribus, qui, quod vitam sectari spiritualem incipientes statim absconditum illud manna non invenirent, magno animae suae detrimento ac proximi scandalo retro redierunt. Mirum sane delicatulos hos, dum honoribus ac voluptatibus corporalibus habendis inhiant, licet saepius repulsam passos, nihilominus perseverare et post novarum semper difficultatum victorias sperare votorum sese suorum compotes futuros; cum vero mecum agere statuunt, si eos vel modica mentis ariditate vel interiore desolatione probare voluero,. statim omnem patientiam perdere et a bono, quod inceperunt, deficere. Anne gratiae meae influxus ita vilis, et suavis ille caeli ros tam exosus, ut hisce parum illuminatis difficile quid et durum videatur aliquem eius causa laborem suscipere?

Non sic fecere veri servi mei, quibus versiculi illius Davidici sensus permultum placuit: *Deus*

meus, orabo et *clamabo per diem, et non exaudies; et nocte, et non ad insipientiam mihi*[1]*:* perinde ac si diceret: Optime novi ipsum orare, tametsi id cum aliqua probatione vel repulsa fiat, insipientiam non esse, sed insignem quandam prudentiam; post has quippe probationes desiderata sequitur laetitia et donorum caelestium abundantia.

Incede ergo, fili mi, per aridum et sterile desertum, quamdiu mihi placuerit; postea namque tibi in terram promissionis ingredi videberis, ubi comedes fructus suavissimos, lucem quoque caelestem, animi robur plurimaque gratiarum mearum subsidia recipies, quibus anima tua corroborabitur.

Caput XIV.

De devotione.

Intende, fili mi, ut voluntas ad faciendum ea, quae ad cultum et obsequium meum spectant, prompte feratur, quo promptitudini et alacritati, qua tuam ego salutem sum operatus, aliquatenus respondeas, ut nimirum omnibus viribus et conatibus tuis gratiae meae coopereris, semper cor tenerum ac filiale erga me habeas, magno cum affectu ad ea, quae mihi placuerint, moveri satagas ac nullis carnis ac sanguinis rationibus, quae terram perverterunt, locum des.

Hac de causa magna quadam diligentia et piissima curiositate notanda tibi sunt sedulo ea, quae ad devotionem cum excitandam tum fovendam faciunt, iisque utendum, sicut olim ministri tabernaculi mei purissimum habere procurabant oleum,

[1] Ps 21, 3.

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quo lucernas coram me collucentes perpetuo foverent. Ita faciunt multi servi mei, qui, ubi se ad servitium meum tardos ac segnes esse animadvertunt, privatim de rebus divinis data opera cum aliis, quos devotos et ferventes credunt, tractare student et licet in sanctae huius conversationis familiaritatisque initio aliquam partis inferioris difficultatem aut taedium sentiant; ubi tamen in eadem pergunt ulterius, paulatim magis accenduntur et miram ad ea, quae servitii mei sunt, facilitatem ac promptitudinem acquirunt. — Alias eadem de causa liberum aliquem spiritualem legunt, qua lectione ita inflammantur, ut postea prompte ea exsequantur, quae ante ipsis gravia erant. — Alias aliquam mei imaginem in manus accipientes ad cantica et hymnos spirituales seipsi excitant mirabiliterque inde inflammantur.

Hae autem spiritus mei inventiones uti et aliae, quas servi mei a seipsis usurpant, magnae ad animum dilatandum et per viam vitae celeriter currendum sunt efficaciae et momenti. Id intellexit amicus meus David, cum mihi caneret: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum*[1], perinde ac si diceret: Cor meum ex se lentum et angustum erat; at mox, ut devotionis accessit influxus, ipsum dilatatum est magnamque promptitudinem et alacritatem sensit ad currendum in divinae legis via.

Non quod David aut reliqui sancti in sensibili devotione perfectionem sitam arbitrarentur, cum principalis devotio etiam cum portionis inferioris queat taedio consistere, sed quia, cum devotio pura est et a me immissa, etsi in portione inferiore

[1] Ps 118, 32.

constat, superiorem adiuvat, totusque homo velociter ac prompte versus me emovetur non sine magno tum suo merito tum proximorum aedificatione; siquidem cum hunc generose et alacriter ea, quae servitii mei sunt, obire vident, non mediocriter accenduntur. Mundus, caro, diabolus capitales sunt devotionis hostes animamque aridam reddunt et claudam, quo in sua ad vitam aeternam contentione segnescat et claudicet.

Quamobrem cave, carissime, ne prorsus claudus reddaris et aridus, sed ad fontem aquae vivae accedere et magnam in rebus salutis tuae hilaritatem et gaudium mentis praeferre satage; oleo laetitiae inungi stude; conscientiae vultum expurga, quae te constristant, imperfectiones procul a te elimina; oculos ad quietissimam illam Ierusalem, beatissimam illam viventium regionem, aeterno et immarcescibili virore convestitam converte et per pascuorum illorum vitalium spem ac desiderium agilis et promptus fies et in via vitae huius numquam defatigaberis.

Caput XV.

De timore Dei.

Beatus, qui divinam maiestatem meam atque horrenda mea de peccatoribus iudicia metuit; in perpetua namque cordis vigilia ad divinam legem meam, quae aeternae vitae via est, observandam vivet. Ingens profecto peccatorum caecitas est, qui, cum in damnationis se esse statu norunt, et, si in eodem emori continget, omnem sibi salutis esse spem praeclusam, securi tamen tempus transigunt, comedunt, dormiunt, de sui mecum recon-

ciliatione ne vel minimum cogitantes, cum hominum tamen iustitiam ita metuant, ut, si fortasse crimen aliquod morte dignum admiserint, terra marique armati et multiplici custode stipati et quotidie habitationis locum mutando fugiant, ne cogniti comprehendantur, immo vix umquam cum quiete dormiant aut comedant, sed mille timoribus circumsaepti ad omnem, quem audiunt, fragorem et strepitum lictores et iustitiae ministros sibi imminere arbitrentur, corporis ad haec et vigorem et colorem amittant, ut quaedam mortis videantur imago; nullam denique in se invenire pacem queant, tametsi a magnis principibus defendantur inque eorum protectione in arcibus inaccessis et multis ianuis ferreis occlusis versentur. Universa sc. haec humana praesidia et adiumenta ab hoc ipsos timore liberare nequeunt, quin immo, licet ita tuto asserventur tamque securis esse liceat, saepe tamen media nocte et aliis horis ad minimam occasionem, immo etiam sine ulla occasione, dumtaxat quod ipsa sollicitudo et inquies cordis nullam ipsis quietem indulgeat, expergescunt. Si vero eos roges, fili, cur tot circumdati muris, intra ferreas portas occlusi, ab hominibus quam accuratissime ad omnem incursum custoditi metuant, dicent se, cum dignum morte facinus admiserint variaeque hominum artes sint et vafra molimina, non posse non timere, ne aliquo forsan artificio, quod ipsi quidem ignorant, incaute ex improviso comprehendantur atque idcirco a peccati sese conscientia exagitari et timoris passionem exsurgere atque adeo se vel quiescere vel horam unam solidam gaudere minime posse.

Si itaque iustitiae corporalis timor — qui cum animae salute et corporis ipsius reparatione, quando

sc. illud resurget, potest consistere — tales in peccatoribus operatur effectus, quomodo divinam iustitiam, quae humana longe terribilior est, non reformidant? Si, quod regi alicui terreno ius esse temporalis ipsis mortis inferendae norint, tam eos anxios et sollicitos reddat, cum tamen ipsius manus et procul recedendo et mare transeundo et habitando, ubi rex ignorat et quo potentia et iustitia eius non pertingit, revera evadere queant: quomodo regem non vereantur aeternum, quem et peccando offenderunt et cuius se ex fide divina norunt manus et ensem evadere non posse? Quid argumento huic validissimo replicari et oggeri queat?

Quid hic dicent peccatores?

Dicent ipsorum nonnulli non tanta se caecitate laborare, quin hanc manifeste veritatem perspiciant, sed esse me maiore quam reges terrenos clementia seque suo delicta tempore sacerdoti aperturos itaque meam in gratiam redituros. — Sed quam absurdum est mea abuti velle misericordia, ne tam cito e peccati mortalis statu egrediantur, sed divinae maiestatis inimicitiam diutius foveant! Hem! Quaenam haec insensibilitas, nosse nimirum hominem se in aeternum pereundi versari periculo, minime tamen, ut quamprimum eodem eximatur, laborare, sed in aliud et aliud tempus differre! Insensatos hos rogatos velim, undenam se futurum illud poenitentiae tempus, quod sibi imaginantur habituros, norint? Si periculum praesens sit et certum, quare remedio et futuro et incerto nituntur ac fidunt? Non ignorant plurimos id genus peccatores improvisa esse morte abreptos; cur ergo infelicem hanc sortem, quae ipsos etiam manere queat, non perhorrescunt? Dicent id raro contingere et fore, ut sibi non eveniat,

sed in utroque hoc graviter errant. Neque enim adeo id rarum est, ut illi sibi fingunt, quod e plurimis horrendis exemplis, quae in sacris literis leguntur, videre possunt, ubi legere est multas civitates integras nedum homines privatos, quae in securitate summa agebant, subito et inexspectato caelesti ultione deperiisse, sicut v. gr. tempore diluvii orbis universus et deinde Sodoma cum vicinis civitatibus et populus Israeliticus in deserto, de quo scriptum est: *Adhuc* carneae, quas desiderarant, *escae eorum erant in ore ipsorum, et ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum*[1]. Deinde cum variis in casibus lascivientes adolescentes, ambitiosi et avari in mediis suis desideriis ac votis ex improviso emoriantur, quis adeo caecus, ut non videat terribile id iudicium meum esse? Hic saepe nulla mortis in iis invenitur causa, et ipsi medici sedulo serioque inquirentes nullam reperire queunt, quia non febris, non frigus, sed ira mea eos abstulit; sicut olim servus meus David scripsit: *Sicut viventes, sic in ira* Deus *absorbet eos,* eos sc. imitatus, qui cum longa confecti sint fame, dum exspectare nequeunt, ut cibi parentur et coquantur, animalia etiam viva devorare et ingerere solent, adeo ut, cum praesumptuosam peccatorum audaciam et arrogantiam necnon eorum in peccatis gravibus perseverandi propositum adverto, subito perversam illam vitam morte rescindere soleam, non aliter in aridos illos stipites irruendo, quam in stipulas ignis ad easdem in momento consumendas et devorandas. — Verum, ut detur id ita non fieri et castigationes has quam rarissime evenire, dic mihi, fili, undenam

[1] Ps 77, 30 31.

hi peccatores, qui conversionem suam tamdiu differre satagunt, se de paucorum horum numero minime futuros sciunt? Licenter admodum ipsi vivunt deque me placando non magis laborant quam ii, quos ego repentino illo indignationis meae igne devoravi, quomodo ergo ab ea se excipiendos sperant, cum excepti non sint illi, quorum adeo facti sunt similes? Quare propter hanc ipsam rationem de paucorum illorum, quos producunt, numero esse promerentur.

Vae peccatoribus, qui vel die uno extra meam sunt gratiam! Tu caecorum et insensatorum horum consortia ac contubernia declina, fili, meaque iudicia considera! Amen, amen tibi dico, quod, quamvis ex omnibus filiis Adam unus dumtaxat damnandus esset, omnes nihilominus ut arboris folium contremiscere deberent et unusquisque sibi dicere: Quis scit, an infelix illa sors in meum sit caput prolapsura? Vide itaque, ut me honores ac reverearis nec umquam in peccati mortalis statu, quoties id te incurrisse animadverteris, lectum dormiturus pete, sed quamprimum ad sacramenti poenitentiae medicinam accurre meamque gratiam fac et amicitiam ut recuperes! Nec satis tibi sit ob poenas me et supplicia infligenda timere, sed ulterius etiam progredere, ut etiam ex affectu filiali me verearis offendere! Quod si feceris, te ego ceu dilectissimum filium meum caelestibus donis adimplebo.

Caput XVI.

De observantia vel custodia praeceptorum.

Ingens id iusto bonum et inaestimabilis quidam thesaurus est, si toto ad legis et praeceptorum

observationem corde conitantur. Cum enim sic religiosus quandam suis in operibus regulam habeat, quae voluntati meae per omnia respondeat, quaeque recta eum per viam vitae dirigat, non potest non esse quam ditissimus tot opera meritoria, e quibus tota vitae eius series contexitur, sibi colligendo.

Hac de causa veri servi mei ac praesertim illi, qui in religionibus, in quibus floret observantia, vivunt, quam possunt accuratissime conituntur, ut ita iuste et legitime in omnibus ambulent, ut non modo ea, quae ad divinam legem pertinent, sed etiam minimum regulae ac constitutionum suarum punctum parati sint observare, potius mortem oppetituri quam ipsum vel in minimo transgressuri. Hinc tam exacti legis omnis cultores sunt, ut audientes «Scriptum est» omnibus mundi rationibus oculos occludendo velut infantes habeant leges et statuta nec interpretari nec eorundem rationem audentes exquirere, sed ea ceu oracula mea excipiant iisque se cuiusdam cordi meo gratissimae reverentiae specie et magno suo spirituali bono submittant. Hac veneratione et aestimatione animo concepta ad statutorum suorum exsecutionem tanta deinde fidelitate, generositate et perseverantia feruntur, ut angelicam quandam in terris vitam ducant et caelitibus imprimis sint similes.

Hi sunt validi mei bellatores, quorum ego robur et animi promptitudinem non sine maxima mea voluptate specto, spiritualibus eos bonis, quae in aeternum duratura sunt, locupletare et ditare paratus. Sunt hi nobilissima quaedam peculii mei et populi electi, quem meo mihi sanguine acquisivi, pars. Sunt denique eximii perfectionis christianae aemulatores, qui se decoris domus Dei zelo vehe-

menter et acriter succendi et excitari sentiunt. Congregatio iustorum, quae in communi vivit et per suavissimam concordiam et unanimem legum suarum custodiam per viam vitae incedit, est *sicut castrorum acies* ex arte et praeceptis militaribus *ordinata*, amicis quidem spectabilis et iucunda, inimicis autem *terribilis* adeo, ut eam et metuat infernus et ea gaudeat caelum et in nova Ierusalem, Ecclesia inquam christiana, sponsa mea, nihil ea oculis meis evenire possit iucundius.

Putant quidem saeculi huius sapientes bonos religiosos, qui in conventibus simul agunt, nullius numeri homines esse, quod ea ab illis edi opera non videant, quae ipsi ut magna suspiciunt. Neque enim palatia construunt, temporales divitias non coacervant, de civitate aut regnorum gubernatione aut dominatu non agunt, praelaturis aliisque id genus rebus, quae magnae et eminentes apparent, non inhiant, immo neque in his congregationibus suis ut illustres se concionatores, lectores, scriptores haberi volunt, sed solidi legum suarum et regulae observatores et exacti exsecutores esse satagunt.

Hi amici mei omnis mundanae gloriae contemptores pluris eo a me fiunt, quo minus eos mundus cognoscit et aestimat; illustrissimas namque vere de se ipsis victorias referunt et spirituale religionis aedificium suffulciunt, nulli mea causa labori parcendo.

Da operam, carissime, ut sollicitos et sedulos hosce operarios imiteris et a domus meae decore te comedi et emoveri sine! Minimos statutorum tuorum apices scriptis commissos magni facito, utpote per quos mea tibi voluntas et beneplacitum

innotescit. Id item exsequere, quod meam esse noveris voluntatem, mundumque exsibila! Ego tua futurus sum merces ac remunerator, non mundus. Quid falsis eius expositionibus ac deceptionibus fallacibus auscultas? Sacrifica mihi sacrificium iustitiae vivendo legitime et firmiter in me spera; ita siquidem magnum solidumque spei fundamentum et incitamentum habebis. Conscientia, quae ad legum normam attemperatur ac vivit, leoninam omni quidem tempore praefert fortitudinem, praecipue tamen in mortis articulo, quando mercedis eius ac praemii hora instat. Fideliter cum legum observatione et zelo operare et te ad illustrissimam in caelo gloriae coronam recipiendam dispone!

Caput XVII.

De clementia.

Ne sis, fili mi, in corripiendis vel castigandis delinquentibus crudelis, sed clementer et benigne eos habe, et castigationem moderando et magis in benignitatem et dulcedinem quam in rigorem et severitatem propendendo! Noli adversus malefactores ac reos irasci vel succensere, uti mundani iudices solent, qui data a me potentia abutuntur et in tyrannicam quandam in delinquentibus morti adiudicandis speciem degenerant, perinde ac si ipsi coram tremendo tribunali meo omni prorsus culpa vacarent.

Unde condicionis humanae immemores duri et crudeles fiunt, cum tamen peccantes sine hac inclementia, sed christianam compassionem praeferendo potius et afflictorum afflictionem hoc pacto allevando castigare possent.

Non sic porro veri servi mei, quando ratione status et officii, quo funguntur, iustitia illis est aliqua administranda, facere solent; sed castigationem quam possunt maxime emolliunt et mitigant memores mei et spiritus, quem ipsis communicavi.

Huc autem omnes invitat apostolus meus scribens: *Fratres, et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis*, in *huiusmodi* rigorem nolite exercere, sed *instruite in spiritu lenitatis*[1], perinde ac si dixisset spiritualium proprium esse in errantes immoderate non efferascere vel crudelitatem exercere, sed benignitatem compassionemque erga eosdem ostendere! Quod non modo iis, qui privatim correctionem fraternam exercent, verum etiam superioribus, qui ratione muneris alios corripiunt vel castigant, servandum incumbit, ita tamen, ut substantia iustitiae, ad quam etiam tenentur et quae clementiam non excludit, integra perstet. Et sane tam ad correctionem peccantium quam ad innocentium aedificationem multo est ipsa clementiae temperatura efficacior quam rigores, quos parum spirituales superiores exercent, bene sese et timorate agere rati, si semper ensem ad feriendum exserant et — ut dicitur — ad ultimum usque quadrantem solvere debitorem compellant. Valde emoveri ac flecti peccator solet, dum erroris — utpote manifesti nimis — convictus et aperte sese poenas promeritum videns, ipsam tamen poenarum illationem a superiore quam fieri potest maxime temperari et has etiam, quas infligit — quas sc. sine iustitiae violatione omittere non potest — maximo quodam compassionis affectu ac signo videt infligi.

[1] Gal 6, 1.

Ad hanc autem iustitiae moderationem et clementiam comparandam permultum faciet meminisse eorum, quibus ipse in me deliquisti, quomodo tamen ipse tecum agam, ut numquam in eo defatiger aut deficiam. Timor mei, maiestatis meae memoria et propria conscientia quoddam tibi erunt frenum, ut iuxta sanctorum doctrinam in iustitia exercenda te componas, utpote qui misericordiae et compassionis plena habuere viscera, ac multo ipse securius per hanc correctionis moderationem industriae praemium iuxta dulcissimae gratiae et Novi Testamenti mei legem adipisceris.

Caput XVIII.

De virtute religionis vel latriae.

Latriae virtus, carissime fili, quae divinae maiestatis meae cultum et venerationem spectat, singularem quendam in corde tuo motum ciere debet, ut quibuscumque potes modis me honorare ac venerari satagas ac non modo sacrificio altaris vel caerimoniis ecclesiasticis ad meum cultum inaugendum destinatis, verum etiam exercitia aliqua adorationis et interiores et exteriores quosdam virtutum actus, qui ad me Dominum et creatorem tuum agnoscendum et venerandum referantur, de tuo addendo.

Si vero efficacissimum quoddam ad excellentissimae huius virtutis exercitium motivum et excitamentum habere velis, considerato tantum, quid infideles et pagani idola adorantes faciant, et non poteris non obstupescere, ubi sacrificiorum superstitiosorum multitudinem, adorationes vanasque caerimonias, quibus eadem venerari sese arbitrantur,

perpenderis. Nuperrimas dumtaxat et modernas evolve historias, ut ad veteres necesse non sit recurrere, et in iis solemnissimas reperies supplicationes, sumptuosa delubra, magnum sacerdotum et sacrificiorum numerum necnon sacrificiorum, luminum et vanissimorum rituum atque observationum copiam, quae dum servi mei ad easdem gentes proficiscentes, quo ad me, verum et unicum Deum suum, ipsas convertant, coram vident, non possunt non summopere admirari. Si autem daemonis fraus et impostura tot ubique gentes ad superstitionum inanias tam potenter pertrahat, cur eandem divinae veritati vim ac robur abrogemus, cur haec servos meos ad divini cultus exercitium magna pietate et interioribus et exterioribus actibus frequentibus non protrahat?

Rationis et argumenti huius vim veri servi mei optime intelligunt, qui per vivam divinae maiestatis meae, quae nullo non loco praesens est, memoriam sibi perpetuo in amplo quodam templo versari videntur multosque adorationis interioris actus exercent, interdum etiam, dum soli sunt, exteriores, modo corpus incurvando, modo genu inflectendo, modo coram divina praesentia mea sese provolvendo, hisce actibus divinae naturae sublimitatem, magnitudinem, aeternitatem aliaque eiusdem attributa profitendo. Subinde etiam hoc eodem me honorandi proposito totos se mihi offerunt, vota, quae olim emisere, renovant, hymnos cantant et Domini sui maiestatem modo quam possunt optimo exaltant. Cumque nec hoc sufficere sibi existiment, in omnibus etiam, quae agunt, operibus divinitatem meam venerari singulari quodam modo nituntur omniaque, quae cultui meo dicata sunt, uti templa, vasa sacra, sacerdotes

aliaque id genus magni facere, spiritualia sacrificia plurima assidue offerentes.

Hoc tibi imprimis est etiam atque etiam commodo, fili, quod nimirum multorum et meritorum fecundum et ad praecipuarum virtutum, quae me velut obiectum et finem suum directe magis respiciunt, exercitium mirifice facit. Ut vero hosce actus perfecte facias, altissimum quendam et mirabilem imprimis de divina maiestate conceptum formes oportet, mentem, quantum potueris, sustollendo tibique persuadendo omnes, quas animo fingere potes aut concipere, altitudines longe esse sublimitate mea inferiores. Ubi autem in hac te veritate fundare et ad inaccessibilem hanc altitudinem respicere coeperis, tua erga me admiratio et reverentia accrescet maioreque me perfectione ac merito tuo ampliore honorare incipies. Recordare admirabilis illius visionis, qua me Isaias propheta meus sublimi et elevato solio considentem conspexit ac duos Seraphim maiestatis meae magnitudinem demirantes clamantes ad invicem audivit: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.*[1] Hic clamandi modus et trisagium illud et confessio, quod terra omnis plena esset gloria mea, e profundissima quadam procedebant reverentia, qua divinitatem meam venerabantur. Sic et te facere oportet, carissime, beatos illos spiritus imitando, ad quorum beatissimam societatem pervenies, si me perseveranter honores et illustrissimum vultum meum assiduo requiras.

---

[1] Is 6, 3.

Caput XIX.

De magnanimitate.

Eos ego unice complector servos meos, qui omnem suam in me fiduciam collocantes magna et heroica quaedam — qualia nimirum nobilissima virtus spectat magnanimitas aggredi proponunt neve mediocribus et vulgaribus in obsequio meo operibus contenti sunt. Novi enim, paucis contentum esse nolle ex summo quodam amoris et gratitudinis affectu nec non e viva quadam eorum, quae ipsorum causa et feci et passus sum, consideratione procedere. Non enim satis mihi fuit exiguo quodam labore et tenui impendio illos redimere, sed tormenta et dolores super me ceu stellae caeli multiplicata sunt, amorem quoque meum sanguinem effundendo impendi Patrique meo illorum gratia pretiosissimam vitam meam sanctificavi. Quorum e consideratione nata in iisdem est generosa et virilis quaedam resolutio ad magna quaedam, quo regnum meum obtineant, aggredienda non ea modo, quae de necessitate et obligatione sunt, sed etiam ad ulterius progrediendum et ad sublimem quandam in omnibus virtutum materiis gradum perveniendum, adeo ut, si de humilitate agatur, quam profundissime se ad unum usque humilient, si de oboedientia, caeci et oculis clausis oboedire contendant, insigni quadam fide concepta iussa exsequentes, si de caritate, vel animam suam proximo suo dare pervelint. Hi sunt sc. generosi et validi bellatores mei, qui per virtutum stadium currentes summum earundem gradum et apicem prae oculis habent, nec satisfecisse se, nisi ad hunc pertingant, nec debiti sui partes omnes explevisse putant.

De electo et regio hoc manipulo illi sunt religiosi, qui arctissimum ubique servant silentium, virginalem praeferunt modestiam necnon angelicam quandam continentiam, ita quidem ad caelestia animum elevantes, ut trans nubes ipsas evolare videantur, quin etiam regio quodam dominio omnibus terrenis dominantur, utpote quae magna quadam constantia contemnunt et proculcant. Cum hisce generosis servis meis duces militares, qui hostiles exercitus profligant, validissima valla et arces ad terram deiciunt et humanis celebrati sunt historiis, minime digni sunt, qui conferantur. Mihi porro illorum regi volupe imprimis est videre, quam sese generose in oblatis occasionibus gerant et periculis, mihique summae gloriae duco tam strenuos in castris meis me habere bellatores.

Si igitur tu me glorificare velis et aliquatenus reciproce multis iis, quae pro te ipse feci, respondere atque, quod par sit, mihi referre, noli in operando parcus esse nec paucis parvisque contentus esto, sed ad ardua et heroica facinora cor sustolle eaque aggredi propone divinae gratiae meae, quae tibi non deerit, ope certissimo te adiuvandum confidens! Ne des ullum pusillanimitati locum mente languens et deficiens ac virtutis difficultatem pertimescens, sed vim tibi aliquam inferens illarum honestate et decore incitatus earum ergo generose decerta!

Quem nempe ego iuvo, nihil creatum metuat oportet, cum omnium et conditor sim et Dominus. Ego vici mortem, mundum et infernum; talem etiam fidis famulis meis opem praesto, ut cor suum et confirment et dilatent seque ipsos ad magna et virilia concipienda, proponenda ac statuenda animent firmissima spe feliciter ad ex-

itum perveniendi concepta. Cor siquidem illis dicit: *Omnia possum in eo, qui me confortat*[1]. Argumentum hoc invincibile est; si nempe dubitare aliquis valeret, num omnis per gratiam meam difficultas superari et expugnari posset, aliquis etiam locus et excusatio pusillanimitati admittendae posset esse; at cum non dubium, sed certissimum sit per gratiam meam nihil non arduum effici posse et a parte tua ipse praesupponere debeas hanc tibi gratiam affuturam, nulla est ratio, qua te a rebus excellentibus et heroicis suscipiendis et ad perfectionis virtutum sublimitatem aspirando excuses.

Respice finem, carissime, et adverte, quomodo magnis operibus magna etiam respondeat gloria et fervens dilectio mea; atque a pusillanimis quibusdam servis meis, quibus iam animo fixum sedet quam paucissimis contentos esse, et qui ratiunculis quibusdam parum spiritualibus, virtutum spiritui et praestantiae divinae et maiestati et bonitati meae debitae inimicis, alios tepidos et pusillanimos reddunt, declina! Quin potius iis te familiarem redde, qui in domo mea magni et in rebus ad meum obsequium spectantibus praestantes habentur, hos inquam imitari stude et divinissimae illorum coronae particeps eris.

Caput XX.

De diligentia.

Praeterit paulatim tempus, fili mi, et mortis hora appropinquat hominemque opprimit nihil minus

[1] Phil. 4, 13.

quam de ea cogitantem; prudentia ipsa exigit, ut, posito ad regnum te caelorum aspirare, inertiam ac segnitiem omnem, utpote paupertatis et miseriae spiritualis matrem, fugias.

Christiani de meo servitio parum solliciti diversas sectantur oblectationes et recreationes, quibus animum recreent persuadendo sibi eas et esse aequissimas et licitas, modo nihil agant, quod aperte malum sit, atque hinc est, quod se excusent, quominus in gravissimum salutis suae negotium ex animo et sedulo incumbant.

At veri et genuini servi mei hasce recreatiunculas non secus ac mortem et pestem fugiunt sibique persuadent tempus omne, quo novos gratiae ac gloriae gradus non acquirunt, perditum esse, ita quidem, ut si fortasse vel media aliqua sibi hora inadvertentibus elabatur, qua non aliquid boni agant, ingentem quendam in animo dolorem sentiant et aculeum quodammodo in corde suo pungentem ac dicant: Media haec hora iam elapsa est, et facere nequeo, ut tempus idem denuo redeat, quo ipsum bene impendam. Hicque cordis, quem sentiunt, remorsus vehementer ipsos excitat et exstimulat, ne in hanc temporis iacturam de novo prolabantur, utque posthac maiore opera sua peragant diligentia, quo superius hoc damnum resarciant. Nec immerito sane ita ad bene agendum omni ex parte accelerant ac festinant. Tam enim ratione damnorum, quae parit acedia, quam bonorum, quae a diligentia promanant, non sine ratione bonum illud, quod hodierna die operari possunt, in crastinam differre nolunt.

Piger viceversa tum plus patitur molestiarum tum pauxillum illud, quod agit boni, minore facit merito; quando enim ipsum iam faciendum est,

taedio et nauseabundo animi corporisque languore oppressus est et consequenter animae vires non intendit, ut cum perfectione opera sua exsequatur; quae idcirco imperfecta sunt, exigui ac saepe etiam nullius prorsus meriti. Unde acedia species quaedam leprae est opera bona inficiens et deturpans. Qui autem sic vivit, in vitae fine admodum se inopem comperit, eo quod innumera perdiderit merita, quae iis quae fecit operibus sibi comparare potuisset, si modo animum applicavisset eumque eadem viva quadam ratione et spiritu meo propria faciendo excitasset.

Sed bonus et fidelis servus meus, qui super talenta accepta alia etiam superlucrari vult, ea, quae servitii mei sunt, magna cum vivacitate, robore et sollicitudine peragit, qua declaret, quanti sit momenti spirituale aliquod lucrum acquirere et quanti amplissimum hunc ipse thesaurum faciat. Hac ipse pia anxitudine omnem a se excutit somnolentiam ac languorem ita quidem facile, ut tempore illo, quod piis peragendis exercitiis destinatum est, et multo minores difficultates sentiat quam pigri et tardi et plus quam illi sibi promereatur.

Beatus ille, qui Dei opera peragit diligenter; hac enim ratione incredibiliter ditescere et operum piorum ac lucri praecedentis experientia et delectatione illectus fiet diligentior et eo, quo alii dormiunt, tempore negotiari discet; sicut de muliere illa forti et in rebus domesticis procurandis negotiosa scriptum est: *Gustavit, et vidit, quia bona est negotiatio eius*, ideoque *non* dormiet, nec *exstinguetur in nocte lucerna eius*[1], ut ad

[1] Prv 31, 18.

lumen eius operetur. Ad eundem modum bonus et sollicitus salutis suae operarius, cum gustaverit, quanti intersit bene et diligenter operari, nullam corpori indulgere quietem vult ipsumque ad lumen lucernae fidei, quando alii non tantum solliciti stertunt et quiescunt, excubare facit. Videre id est cum magna proximorum aedificatione in religiosis ordinibus primaevum fervorem adhuc conservantibus, in quibus ardentes perfectionis monasticae observatores sua in silentio noctis mecum negotia agere solent, ut quibus satis non est vulgaria communiaque omnibus ex regulae praescripto opera agere, sed somnum sibi et quietem corporis suffurantur, quo orationi et lectioni sanctae incumbant, flagris extraordinariis in corpus saeviant, extra tempus lacrimentur, suspirent, humiliter se prosternant, pectus tundant necnon alia id genus sacrificia spiritualia peragant, quorum adminiculo ceu solliciti et quaestuosi mercatores inaestimabiles animae suae divitias mirabiliter adaugent.

Stude ditescere, fili mi, et paupertatem spiritualem detestare bonaque opera multiplicare satage; si enim terreni mercatores tantam in bonis temporalibus adaugendis diligentiam adhibent, quorum tamen causa vitam animae amittant et aeternam sibi damnationem accersunt, nefas sane est durum tibi videri aliquem ad bona spiritualia comparanda, quorum ope veram tibi es vitam et beatissimam gloriae lucem comparaturus, laborem suscipere ac diligentiam adhibere. Ego adsum te videns; curre diligenter et tandem in castissimarum ac perpetuarum deliciarum mearum thalamo requiesces.

Caput XXI.

De fortitudine.

Vita haec mortalis, fili mi, multis iisque gravibus exposita periculis est, adversus quae fortitudinis meae armis communiaris necesse est, non tam ut in quibuslibet vitae discriminibus et conflictibus generose te geras victorque evadas, quam ut in periculis mortis tum corporis tum animae divinae gratiae cooperando, quo adversus timores mundi et inferni praevaleas, victoriam referas, adeo ut, si mihi servire, prout teneris, et regnum caeleste tibi acquirere velis, filios Israel te imitari oporteat de Aegypto in terram promissionis ascendentes; cum enim in via in multos vi armata occurrentes hostes inciderent, arma ipsos in manus sumere necesse fuit et gravia ante pericula confligendo superare, quam in terram, ad quam contendebant, pertingerent. Saepissime quidem tentaberis atque in maximas te angustias redactum videbis et solum quodammodo in acie undique atrocissimis hostibus circumdatum restare oportebit, quo e discrimine unica evadendi est ratio quam fortissime decertare, cum te vel vincere vel occumbere hic necesse sit.

Propone tibi ob oculos tot generosos bellatores meos, quorum alii occultis gravissimarum tentationum conflictibus, alii publicis persecutionum ac tyrannorum exagitationibus divexati admirabilem quandam fortitudinem declararunt adeo numquam periculis succumbendo, ut ea perruperint et illustrissimas sibi per eadem coronas comparaverint; spiritus tui oculos in tot confessorum agmina conice, qui noctes et dies iustitiae meae gladium

assidue manu vibrarunt et, quamvis assidue, nulla concessa quiete, per multos annos in solitudinibus vel in religiosorum congregationibus tentarentur, adeo non defecerunt hosti succumbentes, ut ipsos infernales exercitus et legiones intrepide reppulerint et probrose fugere coegerint! Nemo mortalium novit, quantam hi pugiles mei fortitudinem exercuerint, sed ego solus id novi, qui spectator aderam videns, quam sese animose gererent, ut eos deinde in iudicio meo universali et publico pro eo, quod privatim et in occulto fecerunt, coronarem. Propone tibi tot non modo virorum, sed etiam mulierum milia diversimode exagitatorum, illorum quidem in fide mea confitenda, harum vero in castitate sua propugnanda, et invictam martyrum et virginum, qui modo interminabili altissimae gloriae praemio perfruuntur, constantiam ac robur obstupesces. Perpende universalem illam iustorum omnium vocem et confessionem dicentium: *Probasti nos, Deus, igne* tentationum *nos examinasti, sicut* igne materiali *examinatur argentum*[1], adeo ut, qui militiae meae sacramentum dixit, eum ad angustias redigi et pergraves tentationes probationesque transire oporteat, ut inde virtutum fulgorem et splendorem sibi colligat.

Noli timere, carissime; ego enim tecum futurus sum; armis te meis obarma, uti apostolos et alios regni mei candidatos fecisse constat! Cum autem afflictum te et a spiritualibus hostibus circumdatum vel in aliquo mortis corporalis periculo constitutum comperies, me tibi praesentem adesse cogita meaque praesentia et auxilium tibi vires addat. Non est, quod reges Chananaeos metuas, quando sub

[1] Ps 65, 10.

vexillo meo ad fertilissimam terrae viventium regionem tendis, atque ut certissimum habe servos meos, qui pericula non reformidant et statim, atque aliquis sese gigas illis in via vitae opponit, ad manus cum ipso conferendas se accingunt, summa me voluptate perfundere.

Ita si feceris, fili mi, idem eveniet tibi, quod olim magno servo meo Iacob, qui post contentiosam cum angelo luctam et nomen Israel sibi promeruit et amplissimam benedictionem meam in se devocavit. Beatus ille, qui dulcissimae Ierusalem sponsae meae pulchritudinem sibi comparaturus generose decertat, quia immensa post conflictum consolatione et Dei vivi deliciis donabitur.

Caput XXII.

De iustitia.

Ego iustus sum et iustitiam diligo, cuius pulchritudo et splendor tantus est adeoque omnibus manifestus, ut non christiani modo, quibus per fidei lumen interior oculus longe clarior est et defaecatior, verum et gentiles illustrissimam hanc virtutem magni faciant et honorent. Luci et rationi naturali id adscribendum, quae actuum iustitiae tam distributivae, eius inquam, quae bona reipublicae et munia cuique pro meritorum magnitudine dispertitur et distribuit, quam commutativae, quae privatorum est et cuique suum dari praecipit, honestatem manifeste demonstrat. Unde ipsis etiam infidelibus politice quidem viventibus et civiliter turpissimum videtur suis proximum facultatibus exuere, promissa non praestare vel quae ipsius sunt, illi non restituere. Si qua vero gens

eo venit barbariei et incivilitatis, ut actus iustitiae parvi faciat, bestiarum ea potius quam hominum congregatio habenda.

Unde colligere est, quam intolerabile sit et probrosum christianum hominem adversus iustitiae iura peccare, praesertim cum pauperes opprimuntur et affliguntur et ditiores potentia sua, quam habent, per nefas abutentes pauperum sudorem retinent. Peccata haec in caelum ad me, qui afflictorum sum protector, clamant et divitum iniustorum animas coram oculis meis abominabiles reddunt.

Hac de causa servi mei tam sunt in actibus iustitiae fideles ac tam sollicite cavent, ne eam vel in minimo transgrediantur, ut saepe ipsi magis sint in debitis reddendis quam creditores avidi et avari in iis exigendis solliciti. Et si quis sese offert scrupulus, num sc. sint necne ad restituendum obligati, suo se privare malunt, quam ut importunum hunc conscientiae scrupulum ferant, ne forte in aliquo contra iustitiam peccent. Conscientiae siquidem delicatae et timoratae et divitiarum aeternarum percupidae has circa divitias et lucra temporalia tentationes et angores ferre nequeunt, cumque iustitiae omnis honestatem ex corde diligant, quamcumque demum in materia tam in lucris quam in promissis praestandis et in debito proximis honore deferendo, servi mei sunt in rebus suis et honore debito unicuique reddendis diligentissimi, semper se suisque auribus illam intonantem vocem audire credunt: *Iustus Dominus et iustitias dilexit, aequitatem vidit vultus eius*[1], eam approbando.

[1] Ps 10, 8.

Hoc excitati stimulo non solum proprie dictae et arcte sumptae iustitiae nituntur satisfacere, sed omnibus etiam in genere virtutibus, quae cum quadam iustitiae similitudine exercentur, uti sunt illae, quae ad tractandum cum proximo requiruntur, veracitas inquam, fidelitas, observantia et reverentia eorum, qui in altiore quodam constituti sunt gradu, et vivunt iuxta illam apostoli mei sententiam dicentis: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem!*[1]

Quam castam et irreprehensibilem doctrinam servantes servi mei in magna quadam vivunt pace et proximos aedificant eos ita ex aequo honorando et reverendo, ut nullam hi vel indignandi vel de iis conquerendi occasionem habeant.

Sic nimirum cum proximo conversari te oportet, fili mi, si iustitiae habere virtutem velis; utque vero sis securior in eam te non peccare, da operam, ut semper in plus dandum potius quam in minus vel in rigore debitum ipsum et nihil amplius praestandum propendeas, adeo ut quid magis ei des, quam in rigore iustitiae dare tenearis, praesertim in honore et reverentia deferenda, in quo iustitiae christianae cultus perficitur.

Si autem sic erga hominem ad perfectionem iustitiae te gerere debeas, quid non erga me te facere oportet, me inquam, qui te creavi, redemi, conservo et innumera tum spiritualia tum corporalia in te beneficia confero, quorum nomine mihi debes totum, quod es, quod facis, et multo etiam plus, quam facere tenearis? Sane te ceu mancipium quoddam emptitium credere debes tibique per-

[1] Rom 13, 7.

suadere tantum te mea causa nec facere nec facere posse, quin plura facere tenearis; tametsi ego ex infinita misericordia mea arcta quadam obligatione legis te ad alia obstringere noluerim quam ad ea, quae fragilitas tua gratia mea iuvante proportionaliter praestare queat. At cum non ignores plura a te me ad cultum meum spectantia exigere potuisse, praestare sane debes quam potes plurimum, quasi stricto quodam iustitiae praecepto id tibi praecepissem. Sic nimirum faciunt ferventes et sinceri servi mei, qui beneficiorum a me acceptorum magnitudinem ac pondus perpendunt; hos tu imitari procura et amplissimam mercedem et consolationem in omne aevum duraturum accipies.

Caput XXIII.

De prudentia.

Ego in numero, pondere et mensura omnia secundum altissimum aeternae sapientiae meae consilium condidi, et propterea, qui mihi esse conformis voluerit, sensate prudenterque suis in operibus procedere debet ac praesertim in duobus punctis, primo sc. in fugiendis extremis, deinde in mediis et modis conquirendis, quibus in vera sanctitate proficiat et plus gratiae et gloriae meae acquirat, idque modo quodam eminentiore et pio, sed qui tamen filiorum saeculi huius mille adinventiones et modos ad opes et honores suos adaugendos excogitantium modum ac diligentiam imitetur.

Quantum autem ad primum spectat, si, o fili mi, prudens esse velis, ex aliorum te magis illuminatorum directione ac nutu, qui tibi nimirum dicant, qualis sit exercitiorum, quae facere te

oporteat, servanda est mediocritas et moderatio; ne in scopulos vel ob nimiam lentitudinem vel vehementiam immoderatam impingas, senum et longo usu pollentium consilia exquire et tibi ipsi noli fidere! Quantum vero ad secundum, ipsam inquam piarum inventionum ad sanctitatem comparandam excogitationem spectat, vocationis scopum necnon vitae institutum, ad quod ipse te vocavi, considera et vide, ut exercitia invenias, quae tuo sint statui conformia, ita ut cum primo atque ante omnia satisfeceris iis, quae sunt praecepti et obligationis, deinde ad ea, quae supererogationis sunt, progrediaris, quae et ad augmentum spiritus et mortificationem comparandam et, quae obligationis sunt, multo peragenda perfectius conducant! Ne vero in hisce mediis conquirendis erres, sapientium ac sanctorum consilia exquire; si vero in religione vivas, superiores tuos consule, cum bonus religiosus aliam sequi prudentiam non debet quam superioris sui ac praelati! Tuum quidem est multos sollicite modos inquirere, quibus spiritualiter ditescas; sed horum electio et exsecutio sine aliorum consilio ne fiat! Da operam, ut omnia, quae vides et audis, tibi ad maiorem in dies perfectionem comparandam et cor tuum a creaturis avellendum ipsumque mihi arctius uniendum serviant et ancillentur! Actus devotionis interiores multiplica, non ita tamen, ut pectori aut capiti tuo vim inferas, sed ex affectu sincero et reali, quo semper totus meus esse queas! Quaelibet peccata quam diligentissime caveas, etsi alioquin levissima, et ipsam puritatem conscientiae ceu thesaurum quendam pretiosissimum conservare stude, super cordis tui custodiam quam vigilantissime excubando! In omnibus, quas tibi offeram, morti-

ficandi tui occasionibus et diversarum virtutum exercitiis multa tibi accumulare merita enitere et conare!

Unde si ad ea, quae tibi proposui, capita respicias, primo quidem veram prudentiam christianam, deinde aliarum virtutum omnium directionem habebis. Beatus ille, qui primo respicit finem, dein media eligit huc conducentia! Christiani quoque parum pii et de bonis aeternis haud multum laborantes finem, quem ipsis fides proponat, vitam esse dicunt sempiternam et in hoc quidem christiane sentiunt et loquuntur, cum hunc ego omnibus in genere hominibus universaliter finem proposuerim; quis tamen gravior dari et cogitari error queat, quam ut quis eum se dicat finem habere, quem sancti mei habent, tam diverse tamen et differenter ab illis vitam instituat? Sancti siquidem sollicite admodum media conquirunt, quae beato fini suo conformia et paria sint, sed mundani, quamvis fide profiteantur ad eum dein omnino sese finem tendere, aptissima tamen sectantur et quaerunt media, quibus ad damnationem suam ferantur.

Sunt itaque hi haud absimiles filiis Agar, de quibus haec scribit propheta meus Baruch: *Filii quoque Agar, qui exquirunt prudentiam, quae de terra est, negotiatores Merrhae et Theman, et fabulatores, et exquisitores prudentiae et intelligentiae* gravissime errarunt, *viam autem sapientiae nescierunt*[1]. Mundus hic huiusmodi negotiatoribus plenus est, qui in adinventionibus subtilissimis, ad finem longe alium, quam ad quem ego eos condidi, conducentibus excogitandis sagacissimi sunt.

[1] Bar 3, 23.

Sed hos, tu carissime, stultos relinque et a peccatorum te contubernio sequestra; vide autem, ut pie prudens sis spiritualia quaedam usurpando media, quibus quam potes citissime ad supernam et dulcissimam patriam tuam pervenias!

Caput XXIV.

De fide divina.

Satis tibi esse non debet, fili carissime, divinae fidei mysteria, quae tibi revelavi, nude credere et theologicam hanc virtutem ita otiosam sinere, ut nullum ex eadem fructum colligas. Sed omni ea modo tibi est exercenda ita quidem, ut non modo ad divinarum tibi serviat veritatum assensum, verum etiam ad magis te in eadem corroborandum, bonos mores inde hauriendos et totam vitae christianae directionem hinc accipiendam, cum ad omnes illos effectus ipsa mirifice conducat.

Revoca aliquando in mentem invincibilem veritatis catholicae firmitudinem et maximo quodam gaudio et consolatione fidei, quam profiteris, credibilitatem videns, in eadem te corroborabis. A mysterio vitae meae incipe, cum quo omnia alia fidei mysteria potes coniungere, atque hoc mirabile quid tibi videbitur ac dignum, ut pro eiusdem confessione coram tyrannis, qui eandem negant, mille mortes subeantur. Ego Dei vivi Filius humanam carnem assumpsi et mysterium Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae, fundationis Ecclesiae, remissionis peccatorum et aliorum dogmatum, quae in Ecclesia mea docentur, tanta docui efficacia et tam irrefragabilibus argumentis stabilivi, ut qui cedere iis et se submittere detrectat, nihil omnino

ad se excusandum afferre queat. Quod attente rem consideranti magnae consolationi est.

Ut vero huius ipse reddaris aliquatenus particeps, ipsius divinorum horum mysteriorum ac veritatum credibilitatis confirmationes perpende! Haec ego mysteria praedicavi eaque mundo tam efficacibus argumentis proposui, ut efficaciora vix ipse potuerim afferre nec quid umquam homines crediderint, quod solidius haberet quam haec ad credendum fundamentum. Itaque vel mihi mundus credat oportet aut, si non credat, damnationem aeternam incurrat necesse est.

Porro ad argumenti huius efficacissimi probationem nota id, quod sequitur!

Quando doctor aliquis magna quaedam et incognita praedicat, ut cum prudentia et mature quis iis credat, efficaciter haec ab eo probari et confirmari necesse est, ut audientis inducat intellectum ad asserendum haec, quae audit, esse rationi consentanea ac proinde fidem illis adiungendam videri. Sic ego, cum mysteria praedicarem divinissima et altissima, eo illa quo sequitur modo probavi, qui e tot irrefragabilibus probationibus compositus sit, quot sunt capita, quae attingam. Dixi esse me verum et naturalem Dei Filium ac proinde Deum veracissimum, quin immo ipsammet veritatem, cuius principii credibilitas si astruatur, omnium, quae deinde praedicavi, mysteriorum confirmata et astructa manebit credibilitas, cum ipsamet veritas mentiri nequeat. Ut vero ab ipsa nativitate mea ducam exordium, vulgo omnibus notum fuit, quomodo pastoribus apparuerint angeli meam in excelsis cantantes gloriam, quomodo hos ad me ceu communem ipsorum omnium Dominum — ita namque me nominavit angelus: *Christus Do-*

minus[1] supremus et absolutus — adorandum invitarint. Tota deinde Ierosolyma divulgatum fuit, tres ex Oriente reges ad me adorandum insolito quodam et mundo hactenus inviso modo venisse. Nam ut taceam Herodis turbationem et civitatis totius commotionem, reges illi dixere admirabilem quandam sibi visam esse stellam et eius se ductu in Iudaeam tendisse, quod magnam insolitamque procul dubio in omnium, qui id intellexere, animis novitatem ac motum excitavit. Ad haec Sacram Scripturam tunc excutientes doctores et literati in Bethlehem nativitatem meam futuram palam omnibus declararunt. Est haec historica et literalis probatio, quae suam, cum consideratur attentius, efficaciam demonstrat, circa quam sic te rogo, fili mi: Quando umquam in mundo nascente aliquo rege apparuerunt angeli ceu servi aut ministri regis nati descendentes? Ipse sane angelus puerum hunc ut Dominum agnovit et vocavit ac propterea dicendum fuisse plus quam hominem; cum autem homine maius et dignius nihil sit quam aut angelus aut Deus et cum ipsimet angeli eum Dominum vocent eique ministrent, dicendum omnino hunc esse plus quam angelum ac proinde necessario consequi Deum hunc esse, cumque insuper notorium sit eum esse hominem, sequitur Deum simul esse et hominem.

Si autem hoc argumentum vel probatio adeo tibi evidens et perceptu facilis non videtur, quod in ea creaturae mere spirituales, i. e. angeli, interveniant, ulterius ad hosce reges transi, qui meri fuerunt homines, et petam abs te: Quando umquam in terra visum, ut reges aliqui terreni alte-

[1] Lc 2, 11.

rum adoratum venirent, nisi ipsorum forte is sit imperator, qui superioritatem hanc vel hereditate vel electione habeat vel alio quopiam modo humano sibi compararit? Talia nec in ullis leguntur historiis nec a regibus terrae vulgo fieri solent, quin immo honori sibi ducent potius eosdem vel fugere vel abominari. Si igitur me reges illi adorarint, dicendum sane dignitatem quandam regiam et excellentiam plus quam humanam in hac illos mea infantia agnovisse; si autem excellentiam agnoverunt, plus quam humanam neve ulla alia hac superior sit quam aut angelica aut divina, sequitur divinam illos cum humana, quam videbant, natura coniunctam credidisse, quemadmodum et illis satis declararunt donis, quae mihi obtulerunt.

Deinde ut cum reverentia, quam mihi exhibuerunt, quaque divinam illam excellentiam protestati sunt, ipsius etiam stellae, cuius ductu ad me venerunt, apparitionem et famulatum coniungamus, dicamus oportet credidisse illos stellam hanc mihi veluti Domino suo ancillatam et virtute mea motam fuisse. Quod divinitatis cuiusdam indicium est.

Haec igitur adoratio tot a caelo circumstantiis et favoribus convestita publica quaedam Deitatis meae fuit probatio.

Deinde ut ulterius ad aetatem meam adultam progrediamur, quando iam per praedicationem evangelii et miraculorum patrationem mundo me magis declarare coepi, publice notum fuit meam me divinitatem praedicare, unde adversarii mei insimulandi et obtrectandi etiam occasionem hauserunt. Atqui si me verum esse Deum sum protestatus et vera in protestationis huius declaratione miracula sum operatus, erat ea vera et certa, cum vera miracula veri Dei sint sigilla et id genus

sigilla falsa esse nequeant. Rationis huius vis et robur eo etiam evadit maius, si consideres propria me in miraculis hisce patrandis auctoritate usum fuisse leprosis mandando, ut mundarentur, caecis, ut viderent, mortuis, ut ad vitam redirent, mari, ut quiesceret etc. In quo magna quaedam inter me et sanctos servos meos elucet differentia; cum enim aliquod ipsi facerent miraculum, id ceu servi mei faciebant, ego vero ut illorum magister et communis sanitatis et morbi, vitae mortisque Dominus.

Ne vero hic aliquid in exceptionem quis afferat, personae meae iuxta hominum sapientium opinionem perpendenda qualitas est. Nisi nempe advertatur, qualis sit is, qui miracula patrat, dicere infidelis aliquis posset — uti saepissime de meis dixere martyribus — apparentia dumtaxat et falsa, non vera haec fuisse miracula et, quamvis vera miracula evidentia et certa veritatis sint signa, non ita tamen de falsis et apparentibus censendum. — Haec autem, fili, concidit obiectio, si infinita vitae meae consideretur perfectio et puritas. Si enim ambitiosus fuissem et honoribus percupidus, qui Deus haberi voluissem, revera tamen non fuissem, tantam certe vitae innocentiam non praetulissem, ut ne inimici quidem mei, quamvis et malignitate essent perversissimi et magna accuratione et subtilitate aliquid in vita mea culpandum inquirerent, umquam tamen aliquid ipso etiam Pilato teste — qui manifeste cognovit omnem illorum ad mortem mihi inferendam conatum non tam a culpa aliqua mea quam a mera ipsorum invidia proficisci — reperiri potuerint. Est autem certissimum, si non nisi purus homo fuissem et ad haec gravissimus peccator, quod ambitionem sane per universam

vitam meam, quae e tot constabat operibus et in quam tam curiose et acute et diligenter aemuli inquisierunt, quo in me alicuius criminis labem invenirent, minime defuturum aliquid fuisse, quod adversarii capitales sugillarent. Quae enim in uno crimine perversa est anima, fieri non potest, quin multa alia insuper committat. Si autem fuerim innocens et ut talem etiam me gravissimi peccatores habuere, tam horrendum igitur scelus non conscivi, ut divinum mihi honorem arrogarim et falso Deus haberi voluerim. Si autem vita omnis culpae fuit expers, sequitur non tam gravia me commisisse peccata, uti fuissent falsa illa miracula, praesertim ad falsam quandam divinitatem astruendam. Sequitur ergo miracula mea vera fuisse. Cumque in Deitatis meae testimonium haec facta sint, sequitur me eam admodum credibilem fecisse, adeo ut, qui eam haud credit, nullo sit pacto excusandus.

Et sane aliquot miracula mea tot fuere circumstantiis divinam meam veritatem significantibus convestita, ut nihil in iisdem aemulantium lingua invenerit, quod culparet. Testimonio sit miraculum excitati a mortuis Lazari, in quo magna quadam voce in modum imperantis sepulto inclamavi: *Veni foras!*[1] Ita porro omnium sunt hoc animi commoti, tanta id omnium celebratione divulgatum et ita omnes in admirationem rapti sunt videntes hunc secum iam conversari et agere, ut plurimi de eo minime dubitarint et in me propterea crediderint, ut interim taceam ipsos inimicos meos eius causa malignum quoddam contionabulum coegisse, cumque veritati apertae resistere non

[1] Io 11, 43.

possent, invicem adhortatos esse, ut ipsum propria coarguente conscientia sugillarent et ei obstreperent dicentes: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum*[1]. Ingredere mente, fili mi, concilium illud malignantium atque hinc videbis miracula, quae feci, certissima esse et fidem, quam profiteris, maxime credibilem.

Si autem supradictis hisce probationibus veteres adiungas, quae de me praelocutae sunt, prophetias nec non effectus a me iamiam referendos, qui tum in morte mea tum post eandem secuti sunt, maxima quadam circa divinas veritates consolatione perfunderis. Quid enim de signis illis tremendis censes, quando tuam me redemptionem operante et vitam in cruce amittente sol est obscuratus, terra tremuit, petrae diffissae sunt, velum templi a summo usque deorsum scissum, mortui ad vitam redierunt, sepulcra sunt aperta? Quis adeo futurus est caecus, ut non videat insolitam hanc creaturarum commotionem evidens esse indicium eum, qui moritur, iustum esse, uti centurio et, qui cum eo erant, de moriente testati sunt: *Vere Filius Dei erat iste*[2], quibus verbis apertum de innocentia mea dederunt testimonium. Si igitur mortuus sim ut iustus, de me moriente id senserunt alii, quod ipse in vita praedicavi, esse sc. me verum Deum, sequitur verum me et aeternum Deum esse.

Vide dein et resurrectionis meae effectus, in qua tantam inimici mei caecitatem ostenderunt, ut custodibus sepulcri mei magnam argenti promiserint vim et insigni cum mendacio sibi dor-

[1] Io 11, 47 sq. [2] Mt 27, 54.

mientibus furto me a discipulis meis dicerent ablatum esse, spondentes iisdem se, si quam militibus propterea litem Pilatus ac difficultatem moveret, haud difficulter hanc illi fabulam persuasuros, quo ipsos hoc pacto custodes indemnes abire sineret. Quid de hac veritatis meae claritate videtur, quam ipsum sceleratorum hominum mendacium etiam multo illustriorem reddit?

Transi ulterius ad ascensionem meam, utpote qui tot hominibus inspectantibus manifeste ac palam in caelos ascendi propria me virtute ac potentia ceu caeli terraeque Dominus e terra sursum evehendo.

Revoca item in mentem promissionem Spiritus Sancti, quae fidelissime tanta a me est evidentia et certitudine adimpleta, ut illo descendente apostolos meos variis ac diversis inspectantibus et audientibus tam multis, quae Ierosolymis tum versabantur, nationibus et universa civitate illa stupente loqui fecerim linguis.

Quid ad hanc aliud addi demonstrationem potest quam eum, qui mirabiles hosce producit effectus, verum et omnipotentem Deum esse?

Si autem incredulus quispiam obiciat se quidem omnibus, quae hactenus a me illata sunt, facile convincendum et pertrahendum esse, si modo vera essent, sed ignorare se, verene ac realiter ita, uti narravi, ea contigerint, respondere illi potes certo te ex evangelio et Actibus apostolorum scire hoc eadem modo contigisse; historiarum autem harum scriptores adeo sunt ob suam sanctitatem et ob miracula, quae patrarunt, fide digni, ut nulli umquam historici tantam scribendo fidem promerue-rint, praesertim cum sciat mundus — quod ea res ad hodiernum usque diem nota sit — ad-

miranda, quae in illo convertendo hi fecerint prodigia, ut taceam omnes, quae in mundo sunt, sectas multo minore credere fundamento iis, qui olim suorum res gestas conscripserunt, etsi hi essent et parum docti et sancti.

Vide insuper Ecclesiae, quam fundavi, progressum et adverte, quo modo apostoli et discipuli mei mundum hunc converterint; ipsi quidem nulla praediti erant potentia, auro et eloquentia instructi, mundus vero potentia, auro et eloquentia armatus; ipsi paupertatem, mortificationem, mundi contemptum persuadebant, mundus vero attonitus et obstupescens illorum cedebat praedicationi suisque opibus, honoribus et voluptatibus valedicebat; ipsi patiebantur et moriebantur, mundus tyrannorum opera eos affligebat et in mortem rapiebat; ipse nihilominus mundus victus et subactus est et illi eiusdem expugnatores fuere et subiugatores sicut in eorum de Romano imperio, quod ceu aliis potentius omnia alia terrae imperio sub suam potentiam redegerat, victoria licet videre. — Circa quam victoriam dic mihi, carissime, quis adeo futurus ignarus et stupidus, qui non perspiciat, praedicationis huius et spiritualis orbis terrarum subactionis auctorem ipsammet esse fortitudinem ac virtutem Dei? Cum enim illius ministris rationes et industriae humanae deessent, talem tamen in eodem mutationem fecerunt, ut nobilissimae portionis terrae incolarum animos ad austeram suam, quam docebant, doctrinam pertraxerint. Quid dein de tot martyribus ac virginibus tenerrimis dices, qui delicias, honores, etiam vitam ipsam contemnentes me verum Deum esse confessi omnesque veritates meas amplexi sunt? Quid de tot illustribus doctoribus altissima quadam praeditis sapien-

tia, qui quidquid olim docui, unanimi et admirabili quodam consensu confessi sunt, etsi alter alterum non nosset et licet disiunctissimis ab invicem regionibus agerent, idem tamen ita senserunt, ut ne in una quidem propositione catholica a se mutuo dissentirent? Quid tibi de continua illa pontificum videtur successione, quid de Ecclesiae sponsae meae hierarchia, quid de sancta eius doctrina et sacramentorum usu, qui post tot saecula, quamvis a tot haereticis et infidelibus hactenus acriter sit impetitus, integer et sincerus, in una eademque fide, quam fundavi, perseverat? Si denique incorrupta sanctorum meorum corpora et miracula, quae per eosdem ad praesentem usque diem operor, consideres, quid aliud dicere poteris quam fidei veritates et testimonia nimis quam credibilia esse, ut olim de iisdem propheta meus cecinit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis* [1], i. e. veritates, quibus de te ipse testimonium perhibes?

Posito vero, hancce te credibilitatem necnon tot argumentorum et rationum fortissimarum, quae ad te in divina fide, quam tibi dedi confirmandum, faciunt, veritatem evidenter perspicere: gaude et exsulta, dum haec tecum ipse ad gloriam meam et consolationem tuam subinde recogitas!

Haec quidem de ipso fidei assensu dicta sufficiant; porro quod ad virtutis huius usum et exercitium attinet, quo nimirum per fidem bonos mores acquiras, tentationibus resistas, gloriam mundanam despicias et virtutum studio incumbas, dare operam debes, ut in iis quae se tibi offerent occasionibus, utaris iis, quae te fides docet atque ipsa

[1] Ps 92, 5.

magni facias, visibilia cuncta et transitoria generose despiciendo. Si enim te mundanus honor vel opes vel corruptibilis pulchritudo alliciat, cor tuum ad caelestes honores, opes et aeternam pulchritudinem, quam fides tibi promittit, sustolle et temporalibus illis cogitationibus responde esse te christianum et ad meliora longe bona ac perpetua aspirare! Ad haec consideranda animum tuum elevare stude perque tam inaestimabilis felicitatis amorem ac desiderium magna quadam constantia et animi robore omnes, quae sese offerunt, difficultates perfringes atque ad aeternam requiem tuam properabis.

Caput XXV.

De spe.

Tot tamque efficaces sunt, fili mi, rationes, quas, ut in me spem tuam conicias, habes, ut nullis humanis queant verbis exprimi. Sed cum divinam habeas fidem, quae te illuminat et hasce rationes proponit, eas saepius in mentem revocare et expendere tam ad gloriam meam quam ad consolationem tuam debes, cum tantae eae sint efficaciae, ut ad quemcumque animum languidum et imbecillem confortandum et verae vitae amorem illi ingenerandum mirabiliter conducant.

Ego ipsamet sum bonitas, quae bonorum suorum infinito quodam modo communicativa est, adeo ut, sicut ignis naturaliter ad calefaciendum et incendendum propendet, ita ego naturaliter ad bene faciendum sim proclivis. Et consequenter, ut ignis eo magis naturalem suam inclinationem sequitur, quo magis calefacit et incendit, ita bonitas mea tum se magis sibi credit satisfacere,

quando plura et maiora aliis communicat bona. Unde cum peccatoribus, qui mihi malefecerunt quam quidem potuerunt maxime, benefacere modus quidam benefaciendi sit altior et maioris beneficentiae ac bonitatis index, sequitur in hoc me communicationis modo humanitus loquendo plus delectationis invenire, ut si in divinam maiestatem meam aliquod exsultationis cadere incrementum aut augmentum posset, magis ipsa exsultaret, quando peccatoribus benefacit ingratioribus quam aliis, sicut si aliquis igni esset sensus ac velle, longe illi foret iucundius silvam viridem quam stramenta arida adurere. Haec aeterna mea inclinatio et natura est, quae etiam talis esset, qualis est, quamvis tua causa carnem mortalem non assumpsissem. Si autem ita se res habet, quidnam a me demum ipse peteres, quod quidem saluti tuae expediret et consentaneum foret, quod non libentissime tibi praestarem, etiamsi propter salutem tuam homo factus non fuissem? Quid boni tibi a me deposceres, quod non impetrares, etiamsi innumeris in me peccatis deliquisses?

Nihil a rege quodam offenso peti posse videtur maius et impetratu difficilius, quam ut offendenti in se ignoscat; alia quippe, quae post datam veniam beneficia conferuntur, iam ei ut amico conferuntur vel regis gratiam adepto, in quo tanta non est repugnantia vel disproportio. Ceterum si enormium peccatorum tuorum condonationem meae esse noveris naturae conformem et magnam tum mihi voluptatem afferre, cum nullis ea terminis circumscribatur; quid non tibi de me promittas, si infinitam et dulcissimam bonitatem meam consideres? Huic autem rationi et argumento meo respondere aliud non potes quam filios Adam et

caecos esse et fatuos, cum confidenter et fiducialiter mecum non agant.

Si vero ad hanc rationem etiam aliam validissimam adiungas, sc. non aliam ob causam me hominem factum esse, quam ut infinitum tibi per infinitam hanc ineffabilis bonitatis meae communicationem bonum afferrem, quid de spei motivis, quae tibi suggessi, senties? Dic mihi, fili, quis me ad carnem humanam accipiendam impulit? Quis me movit, ut descenderem passurus pro te et pretiosissimo sanguine meo te redempturus? Certissimum est suavissimam illam me voluntatem, quam ab aeterno habui, patiendi pro te a meipso, ut dici solet, ac motu proprio et non alterius alicuius instinctu impulsuque habuisse, praesertim cum hic mundus nondum a me creatus esset. Ego te per viscera immensae caritatis meae iam tum ab illa hora, etsi nemo tuum patronum apud me ageret, dilexi, incarnari volui et non modo Deus, pater, creator et dominus, verum etiam carissimus frater tuus esse. Proprio hoc motu etiam pati et mori volui, ut salvarem te aeternorumque bonorum participem redderem. Si ergo alienum a me ipse non existimavi per anticipationem misericordiam tibi exhibere idque quodam communicationis adeo mirabilis et stupendae modo, qualis sc. est humanam pro te carnem assumere, cum alioquin te salvare potuissem hominem non induendo, et hac etiam de causa sanguinem et vitam impendi, quomodo de mea dubites bonitate vel quomodo non esse queas securissimus omnigenum te a me bonum accepturum? Quid times? Quid dubitas? Non est, quod metuas, habes quippe fratrem, qui creator et Deus infinitae sit caritatis, qui te amavit, mortis sudoribus quae-

sivit et a servitute toto divitiarum suarum pretio impenso coemere et redimere dignatus est. Invoca me, quia ego respondebo tibi tibique adero; si enim te quaesivi me non invocantem, quomodo me credere potes per consolationem non affore tibi, ubi me invocaveris? Nec est, quod animum despondeas, quod imperfectus sis aut in multa peccata relapsus; nisi enim copiosissimas praestare homini voluissem misericordias, amplissimum hoc tam incomparabilis pretii medium, quale procul dubio fuit sanguinem meum effundere ac pretiosissimam vitam pro te impendere, non elegissem.

Modicae fidei, cur infinitam bonitatem meam ad condicionis filiorum Adam ulnam metiri satagis? Nimis quam certum est esse vos homines crudeles et immites; cur ergo misericordiam meam abbreviare et decurtare vultis? Audite potius prophetam meum loquentem: *Miserationes eius super omnia opera eius*[1]. Quid ad hoc dicis, fili dure? Quid sentis? Recordare chirographorum, quae tibi velut a propria manu mea subscripta tradidi; recordare inquam promissorum, quae evangelistis expressa evidenter esse volui, ut duritiem et timorem tuum per oppositam benignitatis et misericordiae meae abundantiam oppugnarem et expugnarem! Omnibus quippe dixi: *Petite et dabitur vobis; quaerite et invenietis; pulsate et aperietur vobis!*[2] Quamobrem si adeo divitem promissionem sponsionemque habeas tibique divina veritas suggerat, ut regni eius portam pulses, seque tibi aperturam polliceatur, quid times, quid exspectas?

---

[1] Ps 144, 9. [2] Mt 7, 7.

Dicet forsan modica fides tua esse te peccatorem ac proinde eius te clementiae consortem et compotem non futurum, cuius participant alii. Sed graviter quoad hoc erras; neque enim peccatores solos ab universali hac promissione exclusi, immo vero eosdem simul comprehendi et non alia de causa in mundum veni, quam ut eosdem quaererem et ad me reducerem, atque ut nemo parum fideliter ea, quae ex evangelista meo Matthaeo produxi verba, interpretetur, illico subiunxi: *Omnis, qui petit, accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur*[1]; invitavi sc. omnes neminem excludens ita quidem, ut, si peccator, qui etiam decem talentorum milia Domino debet, coram me se prosternens veniam roget, eam sit quam primum habiturus, uti in publicano, Maria Magdalena aliisque plurimis videre licuit. Neque volo, ut quoad hoc homines ullo modo de me sordide avareque sentiant. Clementissimi quippe Patris mei gloria est et laus benignum sese erga peccatores, necnon mihi singularis quaedam voluptas est non modo benigne amiceque eos excipere, verum etiam amplecti et stringere, perinde ac si me numquam offendissent, quin et honoratissimum in aeterno regno meo illis locum dare. Non recordaris, dilectissime, quomodo inimici mei me calumniabantur obtrectantes, quod cum peccatoribus et publicanis familiariter agerem et illorum partes defendendas susciperem proque iisdem responderem? Condicionem meam modo non mutavi neque altissimum illum misericordiae gradum amisi.

Cor itaque tuum eleva et in me spera non modo, ut tua tibi peccata condonem, verum etiam

[1] Mt 7, 8.

ut christiana te perfectione adaugeam, a quacumque te angustia et tentatione eripiam omniaque, quae ad salutem tuam sint conducibilia, quam liberalissime elargiar! Tam sublime porro te de mea sentire volo bonitate et misericordia, ut animum deicere non peccatum modo esse credas, sed etiam homine christiano indignam stupiditatem, etsi quis tot solus peccata commisisset, quot mare habet arenas.

Divinorum ecce tibi sacramentorum remedia praeparavi, ut tecum amicitiam inirem, quotiescumque peccatorum tuorum te poenitebit, gratiae meae cooperantem usque ad maiorem gratiam et sanctitatem secundum uniuscuiusque sacramenti vim et institutionem te promoverem. Ordinariis ad haec ego te visitationibus visitabo tuique curam non aliam geram, quam unici ac dilectissimi filii sui gerit mater.

Da operam, carissime, ut iuste vivas et certissima quadam spe in me, qui tuus sum custos ac redemptor; spera et per nobilissimae virtutis huius robur ad beatissimam patriam tuam festina et curre!

Caput XXVI.

De amore erga Deum.

Quam maxime, fili mi, te mihi, qui summum bonum tuum et aeterna sum felicitas, desidero coniungere. Hac de causa dulcissimum illud et primum legis praeceptum tibi dedi: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua!*[1] Quibus verbis gratissimum quod-

[1] Lc 10, 27.

dam designare volui sacrificium, mihi a te ex omni eo, quod es et potes, in infiniti illius amoris, quo erga te feror, compensationem offerendum.

Ut vero hoc mihi debitum, quod imprimis a te requiro, reddas, omnia illa honesta motiva considera, quibus ad cuiuslibet creaturae amorem pertraheris, et haec ipsa modo quodam excellentiore et infinities perfectiore in me invenies, et gratiae meae cooperare, teipsum ad summum bonum diligendum inclinans, a quo bona animae, quae tibi in terra amabilia apparent, derivantur. Certissimum est omne, quod in terra diligis, cor tuum per aliquam pulchritudinis, gratiae, nobilitatis, divitiarum, magnitudinis aliarumque id genus proprietatum excellentiam attrahere, siquidem hae omnes aliquid attractivum habent. Si igitur has ego perfectiones modo adeo excellenti contineo, ut omnes infinita quaedam in me sint perfectio, participatarum illarum perfectionum, quas creaturis meis secundum sapientiae meae consilium communicavi, operatrix, sequitur eadem de ratione, qua erga aliquam creaturam ob quamcumque harum perfectionum afficiaris, tuum ad me cor sustollere debere et immensae illius distantiae meminisse cordi tuo dicendo: Si haec te creatura allicit, quod pulchra sit, quanto magis divinae gratiae auxilio ad pulchritudinem divinam, a qua omnis creata haec pulchritudo non aliter procedit quam una aquae gutta a mari infinito, amandam propendere debes? Eodem etiam modo aliis creatis perfectionibus ad cor tuum ad me elevandum et infinitam nobilitatem, altitudinem, magnitudinem, sapientiam, maiestatem et gloriam meam diligendam uti debes, hoc tibi ut certum persuadendo

et credendo, quidquid in caelo et terra amabile est, indignum esse, quod mecum comparetur, adeo ut, si omnem gratiam, sapientiam et pulchritudinem hominum simul et angelorum in unum idcirco conglobares, tantum efficeres, ac si unum arenae granulum cum infinito quodam mundo comparare velles. Ego lux sum candidissima, altitudo sublimissima, pulchritudo plus quam suavissima, amor purissimus, divitiae pretiosissimae, potentia fortissima, ipsum denique summum et aeternum bonum et primum et efficacissimum divini amoris, quo Seraphim caelestes ardent et flammescunt, obiectum. Ex infinita hac amabilitate mea diiudicare potes, carissime, quot sis nominibus ad me ex intimo corde tuo amandum perpetuoque mei recordandum obligatus, quo paria et digna magno hoc debito, quo gravaris, opera praestare satagas, universam animam tuam in me, qui unicum bonum, refrigerium et gaudium tuum sum, transferendo ita quidem, ut omnia apparentia et inania, a quibus te allici sentis, contemnas, quo eorum loco veram et beatissimam felicitatem tuam, quae in serenissima facie mea videnda, amanda eaque in perpetuum potienda consistit, obtineas.

Hoc sane motivum tam potens est ad te incendio divinae caritatis inflammandum, ut praeter hoc aliud quaerere non debeas; homo quippe in creatura aliqua amanda aliud quaerere non solet, quam ut digna eâ sit, quae ob pulchritudinem, nobilitatem etc. ametur eiusque potiundae et habendae spes aliqua affulgeat; immo vero saepe etiam sine spe hac ardentissime ea amari solet, ut passim et vulgo notum est. Quamobrem cum infinitam amabilitatem meam tu certo noris, spem etiam perpetuo me fruendi habeas, cor tuum mihi magno

quodam affectu consecrare debes, ut in illo in perpetuum regnem.

Sed ulterius ad ea motiva amoris descende, quae tibi per dulcissimum mysterium incarnationis, vitae, passionis et mortis meae tradidi, quae etiam feras immanissimas mansuefacerent et adamantem emollirent! In veritate tibi dico, si alius quilibet homo tibi similis vel etiam angelus millesimam pro te partem praestitisset eorum, quae tua causa ego praestiti, illi te in servum perpetuum addicere deberes. Cum autem me hominum et angelorum creatorem esse meque tibi plus quam patrem, matrem, sponsum et plus quam ipsammet animam tuam fuisse consideras, quid de infinito tuo debito me amandi mihique ex omnibus animae meae viribus serviendi dices? — Minimum quid a rege magno donatum magni fieri solet et velut pretiosissimum haberi, quod donum sit regium. — Porro, cum tibi ipse non iam minimum quid, sed ipsummet sanguinem, vitam et animam meam dederim, quem non erga me affectum declarare debes? Nosti multis me annis in summa paupertate vixisse, contemptum fuisse et exagitatum ab omnibus, nosti laborasse me, vigilasse, sudasse, denique pro te cruci affixum fuisse; quomodo ergo me non ardentissimo quodam et constantissimo amore prosequeris? Tua ego causa feci, quod hactenus alius nec fecit nec facere potuit; quam ob rem ergo aliorum omnium recordaris et mei unius solum es immemor!

Si alius quilibet tametsi barbarus tibi fame presso panem det, magno cor tuum erga ipsum amore et affectu ferri sentis et belluina quaedam tibi videtur durities affectum reciprocum et amorem erga illum non ostendere. Quo ergo modo ad

me amandum et desiderandum non moveris, cum me indubitate noris tibi in cibum meipsum in divinissimo altaris sacramento, in quo aeternae caritatis meae elucet incendium, dedisse? Si autem aliquando fuissem in tibi benefaciendo defatigatus, aliquam saltem intepescendi fragilitas tua habere occasionem videretur; sed cum antiquas etiam misericordias ulterius velim extendere et extendam novis te beneficiis in dies cumulando et novis inspirationibus, ut sincerus et intimus mihi amicus fores, excitando, quo te tandem ad beatissimam civitatem, in qua mecum regnares, conducerem, prorsus incredibile videtur vel minimae te ingratitudini atque animi tepori locum dare posse et in clarissimae lucis meae medio caligare.

Noli tam stupide errare, fili mi; amores terrenos, qui mortiferi sunt, posthac desere et uni amori meo vitalissimo intende! Ego tibi in reciproco amore exhibendo fidelissimus ero et, quidquid desiderare potes boni, in me invenies et quidem honestissimum, utilissimum et iucundissimum necnon veram et perfectam in me requiem et intimum animae meae gaudium habebis. Dexteram mihi porrige et aeternae cuiusdam unionis pactum inter nos ineamus et Dei vivi concordia et caritas vivat!

Caput XXVII.

De caritate vel amore erga proximum.

In Novo dulcissimo Testamento meo, fili mi, caritatem mutuam discipulis meis etiam atque etiam commendavi velut proprium scholae meae signum; proinde dixi: *In hoc cognoscent omnes, quia dis-*

cipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem[1].

Bene id intellexit clarissimus meus evangelista Ioannes reciproci in proximum amoris praeceptum toties repetens, ut satis ostenderet se illud ut mihi gratissimum et ad divinam legem meam servandam potentissimum cordi insculptum gestare. Sic et te facere oportet, carissime, tenerum et compassivum erga proximum cor habere studendo et non aliter in eiusdem rebus te gerendo, ac si essent propriae, ut numquam in illo tolerando, consolando et omni voluntatis promptitudine instruendo defatigeris aut pigrescas!

Memento, quomodo cum meis me gesserim apostolis, qui, quamvis fuerint pauperes et indocti, infinita tamen quadam benignitate et mansuetudine cum illis, illorum consortium ut grave non ducendo, conversatus sum et ad mortem usque eos perseveranter et instruxi et sum consolatus. Hoc ipse sequi exemplum debes et noctu diuque intueri, quod occasiones quotidie occurrant, in quibus aut magnum in lucris spiritualibus pati detrimentum aut perfectionis magnum acquirere thesaurum potes, si magna quadam vigilantia et cordis sollicitudine fraterno amori colendo attendas.

Considera, quonam sancti mei et religiosorum ferventium congregationes hanc doctrinam modo observarint, in quibus si cui vel e minimis dolet caput, reliqui omnes illum dolorem in se sentiunt, compatiuntur aegroque magna quadam suavissimae caritatis demonstratione famulantur, quod mihi inter omnia, quae in toto orbe terrarum fiunt, et iucundissimum et carissimum est.

[1] Io 13, 35.

Illa enim animi ad serviendum et se mutuo consolandum promptitudo, ille laborum pro alio susceptorum contemptus et incommodorum perpessio, quo aliis commendetur, illa hilaritas animi, quam quisque, dum frater suus bene habet, dum spiritualiter proficit, dum per confessionem et praedicationem in spiritu progreditur, declarat, dolor ille, quem vice versa experitur, cum noverit fratrem tentari vel quolibet alio modo affligi, sollicitudo illa, ne quid a se fiat, quod alium offendat, illud animi gaudium, quod ostendunt, quando invicem suavi et sancta quadam communicatione et benevolentia, quae amoris mutui sit fomes, vident aut visitant, necnon aliae multae diligentiae ardenti quodam divinae caritatis adaugendae studio peractae: ceu holocausta mihi sunt medullata, et magnam benedictionem caelestium pluviam super illas depluere congregationes soleo, quae caritatis meae vinculo inter se unitae et arcte colligatae sunt. Singulari quadam consolatione et voluptate mea inter illos commorabor ac spiritualibus bonis illos ut carissimos filios meos ditabo.

Si igitur, fili mi, placere mihi velis ac perpetuo duraturarum divitiarum tibi copiam comparare, non affectum bonum tantum erga proximum habere stude nec communis illa bene volendi ei voluntas tibi sufficiat, sed ad singularia descende et proximi tui infirmi, pauperis, tentati ac desolati necessitates respice atque illum opere et vera quadam amoris demonstratione consolari et adiuvare stude, ita quidem, ut proximo in afflictione constituto ipse non quiescas neve comedas vel bibas umquam, quin proximum, qui cibo potuque indiget, participem tui cibi ac potus efficias. Nisi enim ad opera singillatim descendas, pius ille

affectus, quo multi erga fratres suos feruntur, non potest non esse suspectus. Si amor verus est, non est otiosus, sed ita se erga proximum gerit ut erga seipsum, atque hoc modo proprie ac perfecte caritatis praeceptum adimpletur.

Fac viscera induaris misericordiae et respice me, cuius intuitu ac nomine proximus tibi diligendus est; corporale illi ac spirituale auxilium afferto atque operam da, ut ad beatum illum finem vitamque aeternam, propter quam ipsum creavi, perveniat! Efficacissima semper in me ad eundem amandum motiva invenies, tametsi parum alioquin ipse ex se sit amabilis; ego enim, propter quem illum amas, sum amabilissimus et nosti summam te mihi per hosce caritatis actus voluptatem afferre. Vide, ut pro eo ores, illum modeste ac suaviter alloquaris, nulla illum molestia afficias, illius condiciones ac mores patiaris, illum exhilares, confortes et ad vitam spiritualem perducas, ut simul tecum se mihi uniat ac tandem ad veram et aeternam vitam, in qua suavissima regnat dilectio et ineffabilibus amoris divini voluptatibus amici mei perfunduntur, perveniat!

Caput XXVIII.

De perseverantia.

Parvum quid est bene incepisse, fili, ac felicem semper progressum fecisse, nisi ad finem usque vitae perseveretur.

Angeli omnes inceperunt bene et me in puncto, quo primum ipsos condidi, dilexerunt; at post amorem illum lucifer ac multi illum secuti lapsi sunt et sine ulla redemptionis spe in aeternum

perierunt. — Ex hominibus quoque, qui naturaliter inconstantes sunt, constat multos, qui ferreae quaedam columnae videbantur, in aeternum non movendae, infeliciter mutatos retrospexisse ac bona sua principia pessimo et infortunato exitu conclusisse.

Beatus ille, qui viriliter certat, nullum humanis consiliis profanis et carnalibus locum dando! Beatus, qui ita vivit, ut quotidie sese incipere credat, et in illo boni sui principii proposito permanere procurat! Beatus, qui hactenus suo se minime putat officio perfunctum, sed quotidie eo in posterum melius se perfuncturum proponit! Beatus denique ille, qui eorum, quae hactenus fecit, obliviscitur — etsi rarae cuiusdam sanctitatis sint opera — et ad vocationis finem animum extendit, uti dilectissimus apostolus meus Paulus fecisse se scribit: *Quae retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quae sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad bravium supernae vocationis Dei in Christo Iesu* [1]. Ante quae verba praemiserat: *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse,* quatenus diceret: Etsi quidem per Dei gratiam magna quaedam praestiterim opera, meum tamen in iisdem pedem non figo vel haereo, quasi qui ad metam iam pervenerim nec quid, quod operae pretium sit et quod maximi mea refert, fecisse mihi videor, quamdiu viae, quam ambulo, finem ac terminum non attingo. Ita sc. apostolus meus et quotquot apostolici sunt viri, sentiunt.

Unde, carissime, si beato illo esse velis numero, retro noli respicere et necdum te id existimes fecisse, quod pluris tua interest; nam si ad finem

[1] Phil 3, 13.

non perseveres, omnia simul amiseris! Da operam, ut per sacramentorum, orationis, lectionis piae, consiliorum a servis meis suggestorum aliarumque id genus rerum subsidia rem tuam agas; haec enim ad tentationes, pusillanimitatem, animi languorem ac fastidium aliaque vitae, quam inisti offendicula superanda incredibile tibi robur addent! Et quoniam actualis perseverantia gratuitum quoddam donum est a me dari solitum, praeter multa illa proposita ac resolutiones, quas facere debes, potius sc. moriendi quam retrospiciendi, ingens hoc donum instanter assiduoque a me posce, quia tibi auxiliator adero! Itaque noli deficere aut animum despondere, carissime; qui namque a me iuvatur, quamcumque sibi spondere victoriam potest! Noli imitari ingratos illos, qui, dum a me in terram promissionis deducerentur, viae longitudinem et id quod patiebantur pertaesi deficiebant ac murmurabant. Terrae viventium fertilitatem magni te facere oportet et hac existimatione animatus steriles huius regiones alacriter pertransi! Recordare dulcissimorum ac vivorum illorum verborum, quae meis ego discipulis proposui: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo*[1]. Quocirca persevera, carissime, in vita bona, quam incepisti, et si quando te defatigari et affligi senties, pretiosissimum illud epulum a me tibi praeparatum considera! Lautissima haec mensa non est mundanis, vanis aut carnalibus, carnes Aegypti desiderantibus, sed validis, constantibus et perseverantibus bellatoribus meis, qui

[1] Lc 22, 28—30.

me in passione et aliis persecutionibus meis comitantur et generosa quadam constantia necquidquam propria frendente carne, difficultates omnes pia quadam violentia — qua sc. regnum meum caelorum acquiritur — sibi illata expugnant, praeparata. Armata manu, carissime, ad iucundissimam illam Ierusalem ascende nec ante quiesce, quam gratia et forti brachio meo iuvante reges Amorrheos et Chananaos, i. e. immanes salutis tuae adversarios, superaveris!

Illucescet aliquando dies, dies inquam nocte et umbra mortalitatis carens, in qua perseverantiae tuae gravissimis quidem ante afflictionibus exagitatae, at amplissima iam gloriae corona remuneratae recordaberis. Tum demum perspicies ingens tribulationum emolumentum et, quantum prosit, in inconstanti praesentis vitae mutabilitate solidum ac constantem permansisse, atque ineffabilis quaedam et delicatissima in Deum vivum exsultatio cor tuum penetrando occupabit.

Curre igitur et legitime decerta, quia te exspectant iusti scripti in libro vitae!

OPUSCULUM III

REVERENDI PATRIS

LAURENTII SCUPOLI

ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM

PUGNA SPIRITUALIS

SECUNDUM VERSIONEM LATINAM AB

OLYMPIO MASOTTO FACTAM

DENUO EDITUM

Laurentius Scupoli Hydrunti (Otranto) in regno Neapolitano natus 1530 ad quadragesimum usque aetatis annum in saeculo vixerat, cum, familiaritate Andreae Avellini Ordinis Theatinorum, viri sancti, qui a Clemente XI in album sanctorum relatus est, contracta, mox petiit, ut in eundem Ordinem admitteretur. In quo post susceptum sacerdotium versatissimum se exhibuit in dirigendis animis, atque eius consilia adeo desiderabantur, ut copiosissimo semper numero eius confessionale circumdaretur. Verum nefarii hominis ore gravissima calumnia affectus, quae ipsi videbatur uberiores fructus in iuvandis proximis impedire, a superioribus impetravit, ut vitam absconditam et reclusam sibi agere liceret. Totus igitur in perfectionem propriam sectandam incumbebat, non ita tamen, ut non scriptione saltem alios iuvaret.

Praeclarissimus illius vitae fructus fuit opusculum nostrum, quod primum tecto nomine italica lingua in lucem prodiit; at brevi tempore in diversissimas linguas translatum atque imprimis per laudes a

sancto Francisco Salesio illi collatas ubique est diffusum. Auctor octogenarius obiit die 28 Novembris 1610 in odore sanctitatis.

Auctor ipse in suprema aetate libellum auxit. Secundum hanc auctam formam libellus translatus est in linguam latinam ab Olympio Masotto Theatino: cuius editio anno 1666 Parisiis facta nunc denuo typis mandata est.

Editor.

SUPREMO DUCI ET GLORIOSISSIMO TRIUMPHATORI IESU CHRISTO FILIO MARIAE.

Quando maiestati tuae placuere semper placentque in dies sacrificia oblationesque mortalium, cum hae gloriae tuae puro corde litantur, exiguum hunc pugnae spiritualis tractatum tibi sisto et nuncupo. Nec refugit animus, quod modicum fit munus; neque enim me praeterit te solum esse sublimem illum Dominum, qui humilibus reculis oblectatur mundique ambitionem et honorum contentionem despicit. Et quomodo possem, quin vitio mihi detur et detrimenta sentiam, hunc alteri consecrare quam maiestati tuae, regi, inquam, caeli et terrae? Quidquid opusculum istud edocet, totum doctrina tua est; quandoquidem tu ipse tradidisti ac praecepisti nobis, ut de nobis ipsi diffisi in te confidamus, pugnemus, oremus.

Praeterea experto duce quaevis pugna si indiget, ut is aciem dirigat militibusque sufficiat animum (namque eo animosius hi decertant, quo invincibilis imperatoris propius signa sequuntur): nonne duce pugna haec spiritualis egebit? Te igitur, Christe Iesu, nos omnes, qui iam certamen inire parati sumus et quemcumque adversarium evertere, eligimus in ducem nostrum, qui mundum principemque tenebrarum devicisti plagisque et morte sacratissimae carnis tuae omnium eorum, qui

praesenti animo dimicavere dimicabuntque, in dies singulos carnem perdomuisti. Cum ego, Domine, *pugnam* istam adornarem, menti iugiter inerat dictum illud: *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis.* Si absque te tuoque auxilio cogitationes probas habere nequimus, quomodo soli depugnare poterimus cum tot ac valentissimis hostibus, innumeros tamque abditos eludere laqueos? Tua est undequaque, Domine, pugna ista; siquidem (ut fassus sum) ex te est doctrina haec, tuique sunt quicumque in spirituali militia stipendia merent, in quorum album nos quoque ascribendi sumus, eapropter cernui omnes celsissimaeque maiestati tuae pedibus advoluti, te deprecamur, ut pugnam istam habeas acceptam, semper nos excites nobisque addas animum per gratiam tuam actualem ad generosius quotidie dimicandum; nos enim ne minimum quidem dubitamus, quin, modo in nobis tu ipse proelieris, vincamus ad gloriam maiestatis tuae tuaeque sanctissimae parentis Virginis Mariae.

Humillimus famulus sanguine tuo redemptus *D. Laurentius Scupulus*, Clericus Regularis.

Vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis; non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit, ut eruat vos de periculo (Dt 20, 3 4).

Caput I.

In quo sita sit christiana perfectio, ut eam assequamur pugnando, et ad hanc pugnam quattuor esse necessaria.

Non coronatur, nisi legitime certaverit.

2 Tim 2, 5.

Christianae perfectionis culmen, dilectissima in Christo Iesu filia, si vis attingere Deoque tuo appropinquare et in unum cum eo spiritum evadere, quo maius ac nobilius dici seu concipi facinus nequit, prius tibi cognoscendum, in quo vera atque perfecta spiritualis vita sit posita.

Complures enim ulterius haud inspicientes in vitae austeritate, carnis castigatione, ciliciis, flagris, oblongis vigiliis, ieiuniis aliisque huiuscemodi corporis afflictationibus ac laboribus hanc posuere.

Statuunt alii, et peculiariter feminae, multum se perfecisse itineris, si precum vocalium grande pensum absolverint; si missae compluries prolixiorique interfuerint divinae psalmodiae; si frequenter ecclesias inviserint et sacro eucharistiae epulo se refecerint.

Plerisque aliis (ex his interdum, qui religioso indutus habitu in claustris degit) persuasum est perfectionem ex eo omnino pendere, quod quis choro assiduus adsit, silentium servet, in solitudine agat et religiosam disciplinam exacte teneat.

Alius igitur in his operibus, alius in aliis similibus perfectionem constituit.

Verum longe aliter se res habet, namque cum illa sint nunc medium ad spiritum perfectionis adipiscendum, nunc eiusdem spiritus fructus, in ipsis solis verus perfectionis christianae spiritus concedendus minime est.

Sunt equidem perquam efficax medium ad huius spiritus acquisitionem iis, qui ex consilio ac moderate talibus detinentur operibus, ut in malitiam fragilitatemque suam ex ipsis vigorem ac vim eliciant, ut contra humani generis hostium insultus et astus se muniant, ut ibi ea nanciscantur spiritualia praesidia, quae cunctis Dei famulis et tironibus necessaria maxime sunt.

At fructus sunt spiritus istius in hominibus vere spiritualibus, qui corpus castigant, quod creatorem suum laeserit, utque illud obsequens et demissum in Dei famulatu retineant; taciturnitatem ac recessus colunt, ut minimam quamque Dei offensam effugiant ipsorumque conversatio in caelis sit; ad divinum cultum ac pietatis opera incumbunt, orationi vacant et Christi vitam passionemque meditantur, haud sane curiositatis sensibilisque dulcedinis illecebra, sed quo malitiam suam Deique bonitatem ac misericordiam luculentius recognoscant, ut in Dei amore ac odio sui in dies singulos magis magisque incendantur et semetipsos abnegantes crucemque tollentes Dei Filium sequantur; divinissimis sacramentis frequenter communicant, ad maiorem divinae maiestatis gloriam, ut intimius uniantur Deo recentesque vires contra inimicos accipiant.

Iis autem, qui totum in exterioribus operibus fundamentum ponunt, haec eadem opera, non suo

ipsorum defectu (sancta enim sunt quam quae maxime), sed culpa illorum, qui ea usurpant, maiorem decidendi occasionem quam peccata ipsa manifesta praebere quandoque possunt; namque ad ea oculos tantummodo collimantes, interiorem hominem negligunt illiusque naturalium propensionum ac latentis daemonis arbitrio indulgent, qui, a recta semita aberrantes inspiciens, non solum eos sinit talia gratanter exercitia persequi, verum etiam in paradisi deliciis, ut vana sibi imaginatione effingunt, spatiari, quo iam elevatos se esse inter angelorum choros Deumque intra seipsos sentire credunt: et non semel, dum profunda quaedam, iucunda acceptissimaque mysteriorum puncta meditantur, eo efferuntur, ut mundi et creaturarum pene obliti, ad tertium usque caelum ipsi sibi rapti esse videantur.

At vero quot erroribus isti illaqueati teneantur quantumque ab ea perfectione, quam inquirimus, remoti sint, ex eorum vita ac moribus facile deprehendi potest.

In quacumque enim re cum magni tum parvi momenti ceteris praeferri inque superiore condicione et causa poni maxime volunt, iudicio suo stant proprioque vivunt ingenio et quibusvis cupiditatibus suis tenacissime adhaerent, sollicite et diligentius aliorum verba factaque, licet in propriis obcaecati, observant et carpunt.

Praeterea si illorum existimationi, ob quam de seipsis praeclare sentiunt, quaque valere apud alios sibi perplacent, vel minimum detrahas, tum a piis exercitationibus, quas ex arida dumtaxat consuetudine factitant, abripias, tanta, quanta maxima potest esse, perturbatione concitantur et irreparabili franguntur mentis inquiete.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Quod si Deus, ut illos ad suimet cognitionem perfectionisque semitam reducat, afflictionibus et morbis eos afficit aut persecutiones permittit (quae numquam sine Dei voluntate suscitantur, ita illo aut volente aut permittente; namque eae sunt ad famulorum Dei fidelitatem explorandam lydius lapis), tunc temporis fundum inane detegunt et, quantum a superbia foedatus corruptusque sit interior homo, demonstrant. In quocumque enim vel adverso vel secundo eventu ipsi se resignare subque potenti manu Dei sese humiliare detrectant, acquissimis semper, quamquam investigabilibus, Dei iudiciis non acquiescendo; neque ad exemplum Filii eius, qui humiliavit semetipsum et pati voluit, cunctis se creaturis subiciunt, pro caris persecutores habendo, quippe qui divinae bonitatis instrumenta sunt eorumque mortificationi, perfectioni ac saluti cooperantur.

Ex his profecto liquet, ingenti illos periculo obnoxios esse, quoniam cum interiore animae oculo tenebris obducto seipsos externasque suas, quae equidem bonae sunt, intueantur actiones, plures sibi gradus perfectionis assumunt; atque ita fastu quodam elati, de aliis haud aequius iudicant, ac praeter extraordinarium Dei auxilium non est, quod eos ab obliquo tramite retrahat.

Facilius enim convertitur adque meliorem frugem reducitur manifestus peccator quam occultus et apparentium virtutum operimento palliatus.

Luculenter igitur cernis, filia, spiritualem vitam in recensitis rebus, quo pacto explicavi, reponendam minime esse.

Quam scias in nulla alia re sitam quam in cognitione bonitatis ac magnitudinis Dei nostrique nihili et ad quodvis malum propensionis; in

Dei amore nostrique odio; in subiectione nostri non erga Deum tantum, verum etiam ob eius amorem erga quamcumque creaturam; in abdicatione cuiusvis nostrae voluntatis inque absolutissima resignatione erga divinum beneplacitum: praeterea totum hoc et voluntate arripiendum et opere complendum ad Dei gloriam simpliciter, ex solo illi placendi affectu et hoc tandem intuitu, quod Deus nec vult tantum, sed dignus insuper est, cui talem tum amorem tum obsequium praebeamus.

Haec illa amoris lex, ipsius Dei digito in fidelium famulorum cordibus scripta.

Haec nostri abnegatio, quam ipse a nobis exigit.

Hoc iugum suave et onus eius leve.

Haec oboedientia, ad quam redemptor ac praeceptor noster exemplo verboque nos evocat.

Et quoniam, si ad fastigium tantae perfectionis aspiras, diutina in teipsam vi agendum est, ut quoscumque affectus tuos sive magnos sive parvos strenue expugnes et penitus destruas; fortiter obfirmatoque animo ad hanc pugnam te expedias necesse est; non enim corona donantur, nisi praevalide certantes.

Ut ergo pugna haec cunctis aliis difficilior est (namque in nosmetipsos pugnantes simul a nobis ipsis oppugnamur), sic parta victoria omnibus aliis gloriosior Deoque gratior erit.

Nam si in id nervos omnes intendas, ut refractarios quosque appetitus, desideria et concupiscentias vel minimas conculces interimasque, maius oblectamentum atque obsequium Deo praestabis, quam si data opera alicui ex illis parcens, usque ad sanguinis effusionem flagris te conficeres et arctius veteribus eremitis anachoretisque ieiunares hominumque milia ad virtutis semitam revocares.

Licet enim ex se animarum quaestus acceptior sit Deo quam levioris appetitus mortificatio; nihil aliud tamen maiore studio ac contentione velle operarique debes, quam quod Dominus ipse vult et districte abs te exigit.

Et Deus procul dubio maiore capitur delectatione, cum in hoc enixius incumbis totamque das operam, ut passiones tuas mortifices, quam si vel unicam tantum ex illis scienter et voluntario in temet vivere permittens, in qualibet alia re, graviore licet maiorisque momenti, illi deservires.

Quandoquidem igitur, filia, iam vides, quibus in rebus christiana perfectio recondatur, tibique, ut illam adipiscare, diuturnam et perquam acrem pugnam in temetipsam esse suscipiendam, quattuor fidissima at summopere necessaria arma tibi compares necesse est, ut in hac spirituali pugna palmam referas et victrix triumphes.

Haec sunt diffidentia sui, fiducia in Deum, exercitatio, oratio.

Quas omnes, favente Deo, facili brevique methodo tractabimus.

Caput II.

De diffidentia sui.

Diffidentia tui, filia, in hac pugna usque adeo necessaria tibi est, ut sine ipsa pro certo habeas, te optatam non modo victoriam non posse consequi, verum ne minimam quidem passionum tuarum devincere.

Hoc menti tuae penitissime insculpatur velim; nam corruptae naturae impulsione mirum quantum faciles ac proclives sumus ad magnifice, falso ta-

men, de nobis sentiendum, qui cum non aliud revera simus quam purum nihil, aliquid tamen valere ipsi nobis suademus, nullaque innixi aequitate, propriis viribus nimio plus fidimus.

Vitium istud perquam difficile detectu Deique oculis maximopere invisum est; ipse enim cupit iubetque certissimam hanc veritatem a nobis ingenue cognosci, quamcumque gratiam ac virtutem ab ipso solo, qui fons est omnis boni, in nos effluere, tum a nobis nihil omnino, ne piam quidem cogitationem, quae ipsi placeat, prodire umquam posse.

Et quamvis diffidentia haec, tanti ponderis virtus, divinae ipsius dexterae opus adhuc sit, quod dilectis amicis suis modo sanctis inspirationibus, rudioribus modo flagellis violentisque et pene insuperabilibus tentationibus aliisque mediis, quae haud ipsi comprehendimus, tribuere solet, attamen cum ipse velit nos quoque, quantum in nobis est, et quod nostra interest, operari, ut diffidentiam istam, caelesti auxilio potissimum roborata, quadrupliciter assequi valeas, exponam tibi.

Primo vilitatem tuam tuumque nihilum expende et recognosce teque viribus tuis nullum posse bonum efficere, quo regnum caelorum ingredi promereare.

Secundo ferventibus humilibusque precibus diffidentiam istam a Deo saepius efflagita, munus quippe ipsius est. Utque hanc consequare, ante omnia temetipsam non solum ea denudatam, verum etiam tuis illam conatibus adipisci non posse cognoscas necesse est. Ita divinae maiestati si non semel ipsa te praesentes, pro certo habens, fore ut propter bonitatem suam tibi illam indulgeat, ac si per totum id tempus, quod divina

providentia disponet, perseveranter eam opperiaris, haud dubium, quin illam obtineas.

Tertio assuesce timere teipsam, opinionem tuam ingentemque ad peccatum propensionem, innumerabiles hostes, quibus ne minimum quidem obsistere vales, eorum quoque bellandi peritiam, stratagemata atque in angelos lucis transfigurationes, versutias innumeras, quibus insidiantur nobis, et laqueos demum, quos in via ipsa virtutis clanculum nobis tendunt.

Quarto, quotiescumque continget in aliquam te prolabi noxam, intimius ac profundius penetres in summae infirmitatis tuae considerationem, idcirco enim Dominus lapsum tuum permisit, ut divina evocante inspiratione clariore quam antea luce condicionem tuam recognoscens, ipsa te contemnere addiscas, utpote quid plus nimio vile, et insuper velis tantidem ab aliis aestimari simulque despici; neque enim sine hac voluntate solida diffidentia comparari potest, quae vera humilitate praedictaque cognitione experimento firmata superexstructa est.

Etenim clare patet, cuicumque ad supernae claritatis veritatisque increatae possessionem aspiranti cognitionem sui pernecessariam esse, quam divina clementia superbis ac multum sibi arrogantibus plerumque lapsu mediante concedit, iuste permittens eos aliqua intercipi culpa, a qua sese tueri posse credebant, ut eo pacto se ipsi cognoscentes, viribus suis praefidere omnino dediscant.

At tam miserabili medio haud consuevit Deus uti, nisi quando benigniora alia, superius allata, iuvamentum illud, ad quod divina bonitas ea intendebat, non attulere.

Quae tanto permittit hominem gravius leviusve delinquere, quanto cuiusque superbia arrogantiaque maior minorve fuerit, adeo ut, si quis nulla praesumptionis labe, sicut Virgo Maria, infectus esset, nullum quoque ad cadendum in se haberet offendiculum.

Quando igitur delinquis, ad hoc statim mentem dirige, ut humiliter ipsa te cognoscas, Deoque precibus insta, ut super te verum effundat lumen teipsam cognoscendi tibique plenam tui diffidentiam impertiat, nisi vero vis denuo corruere et maiore quandoque ruina absorberi.

Caput III.

De fiducia in Deum.

Quamvis diffidentia sui in hac pugna usque adeo necessaria sit nobis, uti dictum est, attamen si solam habebimus, aut fugae nos dabimus aut ab inimicis vincemur atque profligabimur; idcirco praeter istam perfecta in Deum fiducia adhuc tibi opus est, qua ab ipso tantummodo speres exspectesque omne bonum auxiliumque et victoriam.

Quoniam sicuti ex nobis, qui nihil sumus, nihil aliud nobis promittere licet nisi lapsus, ideoque de nobis ipsis diffidere prorsus debemus, ita luculentiores a Deo victorias indubitanter obtinebimus, dummodo ad illius subsidium impetrandum cor nostrum firma in ipsum fiducia communiamus.

Hanc pariter quadruplici ratione consequi possumus.

Primo, si illam a Deo exposcamus.

Secundo, si consideremus fideique oculo contemplemur infinitam Dei omnipotentiam atque sa-

pientiam, cui res nulla impossibilis nec difficilis est, cumque interminata sit eius bonitas, ex ineffabili caritate sua promptum paratumque ipsum esse qualibet hora et quolibet temporis momento totum id nobis elargiri, quo opus habemus ad spiritualem vitam et integram nostri victoriam, dummodo in eius brachia confidenter ipsi nos proiciamus.

Et quomodo pastor divinus, qui triginta tres annos post perditam ovem cucurrit, tam contenta voce illam inclamans, ut raucus inde factus fuerit, perque calles tam asperos totque spinis consitos, ut totum in iis prodegerit sanguinem vitamque amiserit; nunc cum ovis ipsa pastorem insequitur, illius mandatis obtemperans aut saltem iis oboediendi desiderio, licet interdum elanguente, ipsum invocans ac rogans, quomodonam, inquam, pastor bonus vivificos oculos ad ipsam non convertet? Non ipsam auscultabit? Non ipsam in humeros suos imponet, vicinos omnes angelosque caeli ad gaudii communionem convocans?

Quod si in evangelio Dominus noster in amissae drachmae parabola caecum mutumque peccatorem eximia caritate et sollicitudine haud vestigare gravatur, usque dum illum inveniat, num eundem ipsum derelinquet, qui sicut ovis, quae periit, clamat compellatque pastorem suum?

Ecquis umquam credet, Deum, qui iugiter cor hominis pulsat, enixe cupiens in illud intrare in eoque coenare, ut illud munerum suorum participet, tum maxime cum ianuam ipsi cor aperit ipsumque invitat, Deum, inquam, surdum reapse acturum illucque penitus dedignaturum introire.

Tertio, ut hanc sanctam fiduciam acquiramus, memoria et mente percurramus Sacrae Scripturae

veritatem, quae tot in locis evidenter nobis ostendit, nullum umquam confusum frustratumque spe fuisse, qui eam in Deo posuerit.

Quarto, quod maxime conducet ad tui diffidentiam simulque fiduciam in Deum assequendam: cum aliquid agendum occurrit, aut aliqua, ut te ipsam expugnes, ineunda pugna est, antequam quidquam exsequi sive proponas sive deliberes, versetur primum in animo infirmitas tua velim, tum omnimoda tui diffidentia concepta, ad divinae potentiae, sapientiae ac bonitatis contemplationem mentem adicias, in quibus spem omnem reponens et agere et animose dimicare statuas. Namque hisce armis orationeque, ut suo loco exponam, communita, agere et proeliari tum rite valebis.

Ordinem istum si nequaquam servaveris, etiamsi hac in Deum fiducia cuncta exsequi videreris, ut plurimum sane decipieris. Praesumptio enim sui homini adeo naturalis adeoque subtilis est, ut fere semper clam vivat adhaereatque tum diffidentiae, quam de nobis ipsis comparasse credimus, tum fiduciae, quam collocasse nos in Deo persuasum habemus.

Ut praesumptionem, quantum maximum potes, evadas, utque tui diffidentia atque fiducia in Deum omnia peragas, necesse omnino est, infirmitatis tuae consideratio divinae omnipotentiae considerationem praecedat et ambae nostras praecurrant actiones.

Caput IV.

Quomodo dignosci possit, utrum quis operetur ex diffidentia sui ac fiducia in Deum.

Diffidentiam sui fiduciamque in Deum acquisivisse arrogans sibi servus quandoque videtur,

quod tamen nequaquam erit. Ex effectu lapsum tuum subsequente id totum dispicies.

Post lapsum ergo si inquiete animique aegritudine plus nimio vellicaris et ad quandam proficiendi bonumque exsequendi desperationem te acciri persentis, evidens signum est tuis viribus, non Deo te confisam fuisse.

Ad haec si tristitia ac desperatio multa erit, multum tibi Deoque parum fidebas; etenim qui magna ex parte de seipso diffisus Deoque praefidens est, si quando eum prolabi contingit, nec obstupescit nec contristatur nec angitur animo, praeclare noscens, hoc illud infirmitati suae ac modicae in Deum fiduciae referendum, immo ipse de se magis diffisus, Deo humilius multo confidit et propriam culpam atque inordinatas passiones, quae culpae causa fuere, super omnia odio habens, tum ex offensa Dei dolore affectus, ingenti quidem, sed tranquillo ac placido, opus suum persequitur maioreque cum animi securitate, tum firmiore voluntatis proposito usque ad internecionem hostes consectatur.

Vellem equidem omnia haec ab spiritualem vitam profitentibus diligentius perpendi, qui, si quando erratum aliquod commisere, in pacem ipsi se restituere nec valent nec volunt, immo aliquando, ut ab anxietate et inquiete ex amore proprio enata potius sese vindicent, quam ut melius quid nanciscantur, nihil iis longius videtur, quam dum patrem spiritualem conveniant, quem tamen adire praecipue deberent, quo peccati sordibus abluantur et contra ipsum divinissimo eucharistiae sacramento reficiant vires.

Caput V.

Error plurimorum, pusillanimitatem pro virtute habentium.

Complures etiam in hoc decipiuntur, quod pusillanimitatem ac inquietem, quae peccatum pone sequitur (eo quia displicentia quadam concomitetur) in virtutem ascribunt, ignorantque oriri illam ab occulta superbia atque praesumptione de seipsis propriisque viribus, in quibus cum nimium (aliquid se esse autumantes) confisi fuerint, cumque lapsus experimento vires defecisse perspiciant, turbantur, ceu rem novam stupent animumque despondent, fulcimentum illud, in quo fiduciam omnem inepte reposuerant, dirutum intuentes.

Hoc tamen humili servo nequaquam accidit; is enim Deo suo tantum confisus sibique nihil attribuens, si fortasse delinquit, quamvis dolorem inde exhauriat, nec inquies tamen est, neque miratur, optime sciens id sibi ex miseria atque imbecillitate sua, quam veritatis lumine liquido sane cognoscit, omnino contingere.

Caput VI.

Monita alia ad acquisitionem cum diffidentiae sui tum fiduciae in Deum conducibilia.

Quoniam vis tota fundendi inimicos nostros sepositа est potissimum in diffidentia sui ac fiducia in Deum, en tibi et alia monita, quibus divina eas ope adipiscare.

Scias igitur ac pro certo habeas necesse est fore numquam, ut vel cuncta dona, sive naturalia

sive acquisita, vel gratiae omnes gratis datae, vel totius Sacrae Scripturae cognitio, vel Deo multo tempore deservisse nobisque in hoc habitum efformasse, Dei voluntatem ut faciamus efficiant, nisi ad omne opus bonum Deique oculis acceptum, quod aggredi debeamus, in omni tentatione superanda, in quocumque periculo effugiendo, ad quamlibet crucem, quae secundum Dei voluntatem baiulanda a nobis sit, nisi inquam cor nostrum peculiari Dei auxilio adiuvetur eleveturque et Deus ipse ad omnia haec peragenda dexteram nobis extendat.

Eapropter toto vitae nostrae decursu, singulis diebus, singulis horis singulisque momentis, nobis ante oculos veritas ista versetur; sic enim nulla via nulloque cogitatu confidere in nobis umquam poterimus.

Porro quod attinet ad fiduciam in Deum, haud facilius Deo esse teneas paucos quam multos, imbecilles ac novissimos quam veteres et expertos adversarios expugnare.

His de causis anima licet peccatis sit onusta, quamquam omnibus omnium defectibus inquinata totque culpis obnoxia sit, ut parem minime detur invenire; quamvis omnem lapidem moverit cunctaque media atque exercitia usurpaverit ad peccatum declinandum bonumque efficiendum nullaque ratione, ne punctum quidem, in bono proficere potuerit, immo ponderosior in malum incubuerit: numquam tamen in Deo confidere desistat nec arma deponat neque spiritualia exercitia missa faciat, immo fortius in dies confligat cum hoste; scire enim oportet, in hac spirituali pugna eum non cadere, qui pugnare non desinit Deoque confidere, cuius subsidium milites suos nullo tempore

deficit, etiamsi interdum eos sauciari patiatur. Pugnetur tantum; in eo enim tota res vertitur; et pro vulneribus pharmaca praesto utique sunt, omnique pollent efficacia ad eos milites curandos, qui Deum ipsiusque auxilium cum fiducia vestigant; cumque nihil minus attendent, inimicos suos profligatos advertent.

Caput VII.

De exercitatione et primum de intellectus exercitatione, qui ab inscitia et curiositate custodiendus est.

Diffidentia nostri atque fiducia in Deum, adeo in hac pugna necessariae, si solae nobis erunt pro armis, non modo de nobis ipsis victoriam non consequemur, verum etiam in mala plurima praecipiti casu feremur. Ea re praeter istas exercitatione opus est nobis, quae tertium armorum genus est paulo ante propositum.

Exercitatio ista intellectu praecipue ac voluntate instituenda est.

Intellectum a duabus rebus, de more illum impugnantibus, tutari debemus.

Prior est inscitia, quae eum obscurat eidemque veri cognitionem, proprium nimirum ipsius obiectum, impedit. Quamobrem exercitatio perspicuum eum reddat atque expoliat necesse est, ut videre queat et luculenter dispicere, quid nobis opus sit ad expurgandam a noxiis cupiditatibus animam eamque sanctis virtutibus ornandam.

Lumen hoc duplici ratione comparari potest.

Prima ac potissima est oratio, qua Spiritum Sanctum deprecemur, ut illud cordibus nostris in-

fundere dignetur. Hoc nobis toties indulgebit, quoties Deum solum in veritate exquiremus ipsiusque sanctae voluntati contendemus obsequi cunctaque et proprium iudicium patris spiritualis arbitrio submittemus.

Altera est assidua exercitatio, qua profunde et probe res omnes consideremus, ut dignoscere possimus, utrum bonae an noxiae sint, eo pacto, quo Spiritus Sanctus nos edocet; non autem uti extrinsecus apparent, sensibus nostris occurrunt, deque iis mundus depravate iudicat.

Consideratio ista, ut aequum postulat, habita luculenter nobis ostendet, pro nihilo, pro vanitate atque mendacio putanda ea omnia, quae caecus corruptusque mundus deperit variisque rationibus ac mediis cupide venatur: honores ac terrenas voluptates nihil aliud esse nisi vanitatem afflictionemque spiritus; iniurias atque contumelias, quarum notas mundus nobis inurit, veram afferre gloriam et tribulationes quietem advehere; hostibus ignoscere iisque pro malis bona reddere, magnanimitatem et quam maximam esse cum Deo similitudinem; praestantius esse mundum despicere, quam in illo dominari; nobilius atque generosius esse ob Dei amorem vilioribus creaturis lubenter obsequi, quam summis imperare principibus; humilem sui cognitionem pluris aestimandam quam omnium scientiarum culmen; concupiscentias proprias, quantumlibet minimas, vincere atque atterere maius promereri praemium, quam plurimas expugnare civitates, armata manu fortissimos quosque exercitus evertere, perpetrare miracula ac mortuos vitae restituere.

Caput VIII.

Quare corrupte res diiudicemus et quomodo eas recte dignoscere valeamus.

Praedicta omnia et alia plurima idcirco haud probe discernimus, quia simul ac nobis ea obiciuntur, protinus illis aut amore adhaeremus aut odio adversamur, quorum aestu calente obscuratus intellectus non quidem, uti revera sunt, illa diiudicat.

Ne igitur in hunc errorem inducaris, evigila atque enitere, ut, quoad eius facere poteris, voluntatem tuam ab immoderato cuiuslibet affectu purgatam atque immunem serves.

Cum autem obiectum aliquod tibi offertur, intellectus tuus serio illud perpendat atque examinet, antequam ab odio, si naturalibus propensionibus contrarium sit, aut ab amore, si tibi oblectationem exhibeat, ad illud aut volendum aut reiciendum moveare.

Quoniam tunc intellectus, cum nulla adhuc passione adumbretur, liber atque perspicax est et potest tum verum cognoscere tum malum pervadere, quod in falsa voluptate delitescit, tum bonum detegere, quod mali specie obducitur.

At si voluntas iam tum ad obiectum amandum sive refugiendum propendit, intellectus hoc ipsum nequit probe secernere, quoniam affectus, qui iam intercessit, adeo illum obnubit, ut longe aliter ac est, id aestimet, taleque voluntati dum praebet, voluntas ardentius, quam antea, ad illud amore aut odio prosequendum fertur contra ordinem legemque omnem rationis.

Quo item affectu magis ac magis intellectus obscuratur, totque tenebris obvolutus, denuo volun-

tati obiectum ut cum maxime proponit amabile aut odiosum, adeo ut, nisi, quem modo innui, servetur ordo (quod in toto huius exercitationis stadio maximi momenti est), intellectus et voluntas, tam nobiles tamque praecellentes potentiae, eo misere abripiuntur, ut e tenebris in spissiores tenebras deque erroribus in crassiores errores, velut in orbem, perpetuo volvantur.

A te igitur, filia, maxima quaque vigilantia immoderatum cuiusvis rei affectum propulsa, quam prius exacte non expenderis nec talem recognoveris, qualis revera est, intellectus tui lumine et maxime superna gratiae et orationis illustratione, tui denique patris spiritualis iudicio discretam.

Quod velim religiosius nonnumquam observes in externis operibus, quae pia ac proba sunt, quam in aliis; in illis enim, cum talia sint, maius nobis periculum aperitur nos ipsos decipiendi illaque indiscrete arripiendi.

Quamobrem non exiguum aliquando detrimentum importare tibi possent ex aliqua circumstantia temporis, loci sive mensurae aut oboedientiae causa; quemadmodum constat satis plures periculose offendisse, cum per laudabilia ac sanctissima exercitia graderentur.

Caput IX.

Vitium alterum ab intellectu arcendum, ut res probe discernat.

Curiositas vitium alterum est, a quo servandus intellectus, quoniam dum illum noxiis, vanis et quae nihil ad rem faciunt cogitationibus adimplemus, inhabilem atque incapacem reddimus ad

illud discendum, quod magis ad veram nostri mortificationem perfectionemque conducit.

Hac de causa tamquam mortua omnino sis oportet ad omnem investigationem terrenarum rerum, quae, etsi liceant, necessariae tamen non sint.

Intellectum tuum, quantum coniti poteris, in singulos dies restringe eumque stultum efficere perama.

Rerum novitates mundique vicissitudines, sive parvas sive magnas, ac si non essent, fac teneas; si vero eae tibi proponantur, illas protinus averseris et procul a te repellas[1].

Desideriis quoque caelestia percipiendi humiliter adque sobrietatem distineare, nihil aliud scire peroptans, quam Christum Iesum crucifixum, ipsius vitam ac mortem et quidquid exigit abs te.

Reliqua omnia longius a te abigas, namque magnam ita delectationem Deo afferes, qui pro dilectis atque unice caris habet ab ipso solo cum expetentes tum quaerentes ea tantummodo, quae ad divinam bonitatem peramandam ipsiusque placitum exsequendum satis sunt. Quaelibet alia petitio atque vestigatio equidem est amor proprius, superbia ac daemonis laqueus.

Hisce praeceptis si te egregie formaveris, ex insidiis quam plurimis evadere poteris; quando enim callidus serpens perspicit in iis, qui spirituali

---

[1] Videlicet his et sequentibus auctor non id vult dicere, ut omnia terrena negligantur (quod sane esset officiis multis et gravibus deesse), sed monere vult, ut is, qui ad perfectionem strenue conatur tendere, ea plane negligat atque vel ignorare studeat, quae sui officii nullatenus sint, omnesque res terrenas seu mundanas, si iis occupari debeat, tamquam media ad acquirenda caelestia et aeterna consideret atque tractet.

profectui dant operam, vegetam ac fortem vigere voluntatem, eorundem intellectum decutere conatur, ut eo pacto utriusque potiatur.

Propterea saepe saepius, dum hi meditantur, praecelsis, vividis atque iucundis mentis conceptibus eos solet implicare et praecipue quos magnum et acutum ingenium commendat quosque animi elatio facillime extollit, ut discursu ac delectatione huiuscemodi cogitationum districti, in quibus Deo perfrui sibi falso videntur, cor emundare, ad sui cognitionem incumbere atque concupiscentias, ut par est, abrumpere obliviscantur. Ita superbiae laqueo capti, proprium intellectum, velut idolum quoddam, reverentur.

Ex hoc sequitur ipsos, nec quidem advertentes, paulatim sibi persuadere aliorum neque consiliis, neque monitis se indigere, cum iam morem sibi fecerint in quacumque necessitate proprii iudicii idolum consulendi.

Morbus equidem magni periculi et perquam curatu difficilis; periculosior enim est superbia intellectus quam voluntatis, quoniam cum voluntatis superbia proprio pateat intellectui, poterit tandem nullo negotio quis illi mederi, si cui debet, obocdientiam praestet. Verum qui iam firme credit aliorum sententia saniorem suam esse, a quonam et qua ratione sanari ipse valebit? Ut aliorum iudicio subscribet, quod non tanti facit quanti suum?

Si animae oculus, videlicet intellectus, quo superbae voluntatis plaga dispicienda atque perpurganda erat, infirmus et caecus est eademque superbia redundat, quis illum curare poterit?

Si lux in tenebras evadit, si regula exerrat: in reliquo quid fiet?

Tam periculosae igitur superbiae, antequam ad medullas usque pertingat, quam primum medeare. Intellectus tui acumen obtunde; aliorum arbitrio tuum libenter submitte; ob Dei amorem stulta efficere, atque Salomone sapientior omnino eris.

Caput X.

De exercitatione voluntatis ac de fine, ad quem dirigendae actiones omnes, cum interiores tum exteriores.

Praeter exercitationem, qua intellectus expoliendus est, voluntatem usque adeo regas necesse est, ut eam in manu desideriorum suorum minime relinquas, verum Dei beneplacito in totum conformes.

Et sane advertas, tibi haud debere sufficere, quod velis et cures, quae acceptiora Deo sunt, sed insuper eadem velis ac peragas et tamquam a Deo excitata et ipsi solum perplacendi causa.

In hoc pariter maior quam in supradictis nobis est colluctatio adversus naturam, quae ad seipsam explendam adeo propendet, ut in rebus omnibus et ferventius aliquando in piis atque spiritualibus quam in aliis commodum ac delectationem perquirit, quibus multo equidem detinetur et velut escis nullo modo suspectis avide pascitur.

Idcirco statim, ac illa nobis proponuntur, confestim ea oculis usurpamus ac volumus, non autem tamquam a divina voluntate moti nec Deo tantum placendi desiderio, verum ad bonum illud atque delectamentum arripiendum, ex eo nobis accedens, quod res, quas Deus vult, et nos velimus.

Fraus eo occultior, quo obiectum concupitum ex se sanctius est. Unde cum ipsum etiam Deum concupiscimus, tunc quoque amoris proprii decipula nos solet implicare; quoniam ut plurimum utilitatem nostram atque commodum, quod inde opperimur, potius attendimus quam Dei voluntatem, qui tantum ad sui gloriam sibi perplacet, immo vult, ut eum amemus ipsique pareamus.

Ut laqueum istum, qui perfectionis semitam intercluderet, effugias, utque assuescas omnia velle ac peragere et tamquam a Deo mota et ex hac pura intentione honorem praebendi gerendique morem illi soli (qui quarumlibet actionum atque cogitationum nostrarum unicum principium ac finis esse vult) hac via progrediare. Cum obiectum, quod Deus velit, tibi sese offert, ne ad illud volendum inclines voluntatem, nisi prius in Deum mentem erexeris, ut adspicias placitum ipsius esse, te illud idem velle, eo quod sic ipse imperat, et quo illi tantummodo placeas.

Hoc pacto voluntas tua a divina excitata atque attracta flectatur deinde ad obiectum volendum, utpote quod Deus velit, ac solum ad Dei beneplacitum honoremque attingendum.

Similiter cum quod Deus inhibet repudiare in animo est, illud quidem respue, sed fac ut intellectus tui aciem ad divinam voluntatem ante rettuleris, quae vult te illud abnuere, ut ipsi placeas.

Verum scias subdolae naturae fraudes haud facile detegi, quae clam seipsam numquam non inquirens, motivum illud, ac finem Deo placendi nobis inesse, plerumque ad credendum nos ducit, quod tamen nequaquam est.

Unde cum ob utilitatem nostram quid volumus nolumusve, illud velle nos aut nolle, ut Deo pla-

ceamus neve illi displiceamus, nobis saepe videmur.

Ne hac pedica tenearis, peculiare ac probatissimum remedium foret cordis puritas, quae in eo sita est (ad quod tota haec pugna dirigitur), ut exuamus veterem hominem novumque induamus.

Nihilominus ut aliqua tibi arte consulas, quandoquidem proprio amore redundas, ab initio actionum tuarum, quantum in te est, studiose incumbas ad intentionem tuam expurgandam ab omni permixtione, in qua amoris proprii quid commisceri suspiceris, deinde nihil quicquam velis neque peragere neque aspernari, quidquid id sit, nisi a pura et simplici Dei voluntate te prius moveri atque attrahi percipias.

In omnibus actionibus et praecipue in interioribus animae atque in exterioribus, quae cito transeunt, si semper motivum istud actu sentire nequiveris, satis habeas in qualibet actione virtualiter ab illo excitari, modo veram intentionem soli Deo usquequaque placendi semper habeas.

At in actionibus, quae aliquo durant temporis spatio, non solum initio motivum istud in teipsa te suscitare convenit, verum etiam, ut illud identidem renoves atque experrectum ad finem usque retineas vigilantius adnitere, ceteroqui non procul a periculo abesses in alium quoque amoris proprii laqueum incidendi, qui, cum ad seipsum quam ad Deum propensior ac proclivior sit, temporis intervallo efficiet plerumque, ut obiectum intentionemque sensim immutes.

Servus Dei parum in haec defigens animum, rem quampiam ut plurimum peragendam suscipit ex solo motivo placendi Domino suo, postea vero paulatim ipse, fere nec opinans, in ea

proprium sensum delectari adeo sinit, ut divinae voluntatis oblitus, voluptati, quam inde capit, utilitatique et honori, quem ex illa emanaturum sperat, ita inhiat haeretque, ut, si Deus actionem illam impedit sive morbo sive adversitate sive creatura alia obstante, totus inde perturbatus, totus inquies sit nec temperet sibi, quominus de hoc et illo, ac ne dicam de Deo ipso, interdum queratur. Argumentum plane evidens, huius intentionem non omnino Deum respexisse, sed e cariosa radice pullulasse ac de fundo utique corrupto enatam fuisse.

Quicumque enim Dei impulsu eique soli placendi desiderio in rem aliquam fertur, haud equidem istam propensius quam aliam vult, sed illam habere percupit, quam divinae modo maiestati placitum sit ut habeat, eaque ratione ac tempore, quod gratum Deo fuerit; et sive illam obtineat sive non, tranquillo et aequissimo animo id excipit; nam quoquomodo hoc eveniat, attingit, quod sibi proposuerat, finemque assequitur, qui nullus alius erat praeter Dei beneplacitum.

Quapropter ipsa te plane recolligas et operam ponas velim in actionibus tuis ad hunc perfectum finem nullo non tempore dirigendis.

Interdum vero (ita animae tuae dispositione requirente) si ad bonum peragendum feraris, inferni poenas evadendi causa aut paradisi spe ducta, in hoc pariter pro ultimo fine beneplacitum atque voluntatem Dei tibi proponere poteris, cui summe placet, non ut in infernum descendas, sed ut regnum caeleste introeas.

Motivum istud qua efficacia virtuteque sit praeditum, nullus umquam perfecte cognoscet; actio enim quaecumque, nullius licet pretii, omniumque

infima, ad finem soli Deo placendi ad Deique gloriam suscepta, infinite pluris valet (ut ita dicam) quam multae aliae longe maximi valoris ac meriti, quas sine hac intentione quis exsequeretur.

Hac de causa si quis denarium pauperi impertiat hoc solum intuitu divinae maiestati satisfaciendi, acceptior eidem erit, quam si alius ad alium finem, caelestibus etiam bonis perfruendi (qui summe concupiscibilis est, nedum rectus) omnibus divitiis suis, quamtumlibet amplis, nuntium remitteret.

Exercitatio haec omnia gerendi ad finem simpliciter Deo placendi ardua initio videbitur; plana verum et facilis reddetur usu atque actuum frequentatione, quibus Deum ipsum identidem desideremus ad eumque flagrantibus cordis affectibus aspiremus, tamquam ad unicum et perfectissimum bonum nostrum, quod per se mereatur, ut cunctae creaturae illud exquirant, illi deserviant illudque plus multo diligant quam quicquam aliud.

In qua consideratione infiniti meriti Dei quo profundius ac frequentius immorabimur, eo ferventiores ac frequentiores actus, quos dixi, voluntas eliciet, ob eamque rationem maiore facilitate atque celeritate habitum nobis efformabimus actiones quaslibet aggrediendi intuitu atque amore Domini illius, qui solus dignus est, cui officium illud persolvatur.

Denique ut divinum hoc motivum assequare, praeter supradictam, istam quoque viam capessas velim, ut illud scilicet a Deo importunis precibus efflagites et saepe consideres innumerabilia beneficia, quae Deus nobis contulit et quotidie confert ex purissima tantum caritate sua nulloque sui commodo allectus.

Caput XI.

Considerationes aliquot voluntatem adducentes ad beneplacitum Dei in omnibus exquirendum.

Porro ut facilius voluntatem inclines ad divinum beneplacitum atque honorem in qualibet re indagandum, recordare identidem ipsum non uno modo honore atque amore te prius prosecutum fuisse.

In creatione, in qua te ex nihilo ad similitudinem suam omnesque creaturas ad tui famulatum condidit.

In redemptione, in qua non angelum, sed unigenitum Filium suum misit, ut is te redimeret, nec auri sive argenti pretio corruptibili, sed pretioso sanguine suo et morte doloribus aeque ac ignominiis referta.

Deinde quod idem ille Dominus quavis hora, immo quovis temporis momento te ab inimicis custodiat, per gratiam suam pro te dimicet, dilectum Filium suum, in augustissimo sacramento reconditum, ad defensionem tuam tuumque velut epulum numquam non apparatum tibi praestet, nonne signum hoc erit inaestimabilis aestimationis et amoris, quo ab immenso Deo mire dignaris? In tantum ut nullus umquam comprehendere queat, quanti nos pauperculos nostramque pusillitatem ac miseriam tam magnus Dominus pendat, et quanti e contrario praecelsam adeo maiestatem facere debeamus, quae tot tantaque pro nobis molita est.

Quod si principibus terrae, cum ab hominibus, egenis licet et vilis condicionis, defertur honos, ad honorem tamen istis reddendum ipsi se ob-

strictos censent, quid vilitas nostra supremo universi Domino rependere debebit, a quo tanti sese aestimari tamque care diligi novit!

Super omnia tandem memoriae tuae iugiter insideat, divinam maiestatem infinite ex se dignam esse, quam colamus cuique famulemur, ex hoc tantum quod tale sit eius placitum.

Caput XII.

Plures voluntates in homine exsistere ac bellum ardere inter eas.

Quamquam dicere possumus in hac pugna voluntates duas nobis inesse, rationis alteram, quae idcirco rationalis atque superior nuncupatur, sensus alteram, quae sensualis ac inferior appellatur, quamque appetitus, carnis sensus ac passionis notionibus significare solemus: attamen cum sola ratione homines simus, quando solo sensu quid concupiscimus, id numquam revera nos velle intelligendum est, usquequo superiore voluntate ad illud volendum propendeamus.

Ea re tota spiritualis pugna in eo potissimum vertitur, quod rationalis voluntas, cum inter voluntatem divinam, quae illi superstat, atque sensualem, quae inferius est, media locata sit, continuato ab utraque bello lacessitur, dum illam ad se allicere sibique submittere et obsequentem reddere quaeque conititur.

At insigniter perferendum multoque labore sudandum et maxime initio iis, qui pravis habitibus detinentur, simul ac in animo statuunt, a perditissimis moribus abscedentes ad frugem bonam redire ac semetipsos a mundi carnisque tyrannide

subreptos Iesu Christi amori atque servituti devovere.

Quoniam ictus, quos superior voluntas immissos sustinet a divina atque a sensuali, quae iugiter illam obsident oppugnantque, vehementes equidem sunt et perquam violenti penitissimeque infiguntur, nec sine gravi animi cruciatu.

Quod nequaquam contingit iis, qui sive virtutum sive vitiorum habitus adepti iam sunt, quique eadem adhuc via procedere intendunt; quoniam integris formati virtutibus, divinae voluntati animo aequo assentiuntur; vitiis autem mancipati, sensus affectionibus se subiciunt absque ulla contentione.

Verum nullus umquam praesumat solidas christianasque virtutes acquirere sive Deo, ut aequum postulat, se deservire posse, nisi vim ex animo inferre sibi atque angorem perpeti proponat toties exhauriendum, quoties ablegandae minores, nedum pleniores voluptates, quibus antea terreno affectu quis adhaerebat.

Hac de causa perfectionis scopum perpauci attingunt; namque ubi graviora vitia nec sine labore superaverunt, sibi postea vim nolunt adhibere nec pergunt aculeos atque molestiam sufferre, qua discerpi oportet, dum infinitis pene concupiscentiis ac passionibus levioris armaturae resistendum est, quae in ipsis magis magisque in dies singulos gliscentes eo usque efferuntur, ut in ipsorum cordibus dominentur eaque praepostero premant imperio.

Inter eos invenire est nonnullos, qui etiamsi aliorum bona non surripiant, quae tamen legitime possident, effusissime diligunt; quamvis dignitates illicito ambitu non indagent, eas, uti aequitas posceret, non abhorrent nec illas percupere et non

uno interdum viarum delectu vestigare desistunt; licet ieiunia praecepto indicta servent, gulae paulo nimium indulgent, superflue quippe comedunt et delicatiora appetunt edulia; quamquam vivant continenter, a quorundam consuetudinibus non abstinent, quibus iucundissime perfruuntur, quaeque unioni cum Deo spiritualique profectui haud parum inferunt impedimenti, praeterquam quod, cum hae sanctissimo cuique, easque praesertim minus pertimescenti, maximi sint periculi, quisquis is est, pro viribus eas evitare omnino debet.

Inde quoque evenit reliqua eorum bona opera spiritus tepiditate absolvi comitarique a multiplici proprii commodi inquisitione occultisque imperfectionibus, a quadam etiam sui existimatione et desiderio laudem honoremque horum intuitu promerendi apud homines.

Id genus homines tantum abest, ut in via salutis proficiant, ut regredientes in periculo sunt prioribus erratis intercipi; haud enim veram virtutem amore complectuntur Dominoque Deo, qui eos a daemonis tyrannide exsolvit, parum gratos ipsi se exhibent; praeterea imperiti ac caeci sunt, ut ne periculum dispiciant, in quo versantur, quandoquidem securam veluti stationem se tenere perperam arbitrantur.

Hic autem techna detegitur eo perniciosior, quo minor illi cautio adhibetur. Complures siquidem spirituali progressui navantes operam, seipsos plus aequo diligentes (quamvis revera ipsi se nesciant amare) ut plurimum spiritualia exercitia assumunt, proprio gustui blandius lenocinantia, eaque missa faciunt, quae naturales propensiones ac sensuales appetitus ad vivum resecant, in quas postulat omnis ratio, ut toto nisu proelium urgeatur.

Propterea, dilecta filia, te commoneo exhortorque, ut difficultatem et molestiam adames, quam, ut seipsum vincat, quisque perferre debet; hic enim cardo rei est: tum victoria eo certior atque expeditior erit, quo cariorem habebis difficultatem, quam virtus ac bellum eius causa suscipiendum tironibus ingerit; quod si difficultatis atque operosae pugnae amantior fueris quam virtutum atque victoriarum, celerius omnes istas consequeris.

Caput XIII.

Modus pugnandi in sensuales motus. Et quinam a voluntate eliciendi sint actus, ut virtutum habitus acquirat.

Quandocumque rationalis voluntas tua hinc a sensuali et illinc a divina obsidebitur, dum utraque palmam referre conititur, pluribus ipsa te modis exerceas necesse est, ut divina voluntas tui usquequaque potiatur.

Primum cum a motibus sensus invaderis atque oppugnaris, iis pugnacissime resistere et obniti debes, ne superior voluntas ipsis praebeat assensum.

Deinde huiuscemodi motus ubi quieverunt, denuo in te exsuscita, ut eos maiore impetu ac vi reprimas.

Tum ad tertium certamen eosdem revoca, in quo assuescas dedignatione atque horrore a te illos propellere.

Bina haec ad pugnam provocatio obeunda est in quoscumque nostros praefractos appetitus, ita tamen, ut excipiantur carnis stimuli, de quibus suo loco agemus.

Postremo cuique tuae passioni contrarios actus elicias.

Sequenti exemplo totum hoc perspicuum magis erit.

Fortasse impatientiae motibus attentaris, si te ipsam introvocaveris ac diligenter intenderis animum, voluntatem superiorem nihil intermisso pulsu ab iis succuti senties, ut ipsis dedat aures atque assentiatur.

Tunc pro prima exercitatione cuilibet motui iteratis vicibus resistens, quantum potes, adlabora, ne voluntas tua deditionem ullo modo paret.

Nec umquam ab hac pugna desistas, quousque deprehendas, inimicum tuum prostratis iam viribus et pene mortuum se victum fateri.

Verum animadvertas, filia, daemonis calliditatem. Statim ac ipse perspicit, alicuius passionis motibus fortiter nos adversari, non modo illos in nobis suscitare desinit, sed etiam, si excitati fuerint, tunc eos sopire conatur, ne eiuscemodi exercitatione virtutis habitum obtineamus passioni contrarium, utque praeterea inanis gloriae atque superbiae laqueis irretiamur, dum nobis mira dexteritate suadet, inimicos nostros expeditissime a nobis tamquam generosis militibus conculcatos fuisse.

Idcirco proelium redintegres, cogitationes, quae tibi impatientiae causa fuere, memoria repetens atque in te usque eo excitans, ut ab ipsis in sensitivo appetitu te commotam sentias; tum vero confestim frequentioribus voluntatis actibus ac maiore conatu motus istos compescas.

Et quoniam, licet inimicos propulsemus, eo quod probe facere et Deo placere cognoscamus, attamen cum perfecto odio non oderimus illos, periculum est, ne ab ipsis suo tempore vincamur;

hac de causa iis obviam perges, tertiam instruens oppugnationem, et procul a te fugabis non modo repugnantiae, sed indignationis etiam actus eliciens, usque dum eos oderis atque abomineris.

Tandem ut animam tuam virtutum habitibus exornes atque exaugeas, internos actus, inordinatis passionibus directe oppositos, expromas necesse est.

Ex. gr. patientiae habitum absolute adipisci in animo est; tum maxime, cum quis te contemnens tibi impatientiae occasionem exhibet, abunde nequaquam est, triplici dimicationis genere supra tradito exercitam te fuisse, sed insuper contemptionem ipsam velle ac diligere debes, ab eodem eademque ratione iterum sperni desiderans, graviora etiam non modo exspectans, sed et sufferre proponens.

Ideo autem ad virtutis perfectionem assequendam hisce actibus opus habemus, quia ceteroquin actus alii, quantumlibet multi ac fortes, ad evellendas radices, e quibus vitii germen prorumpit, nequaquam sufficiunt.

Quapropter (ut in eodem pergamus exemplo) etiamsi, quando despicatui ducimur, impatientiae motibus nullo modo cedamus, immo triplici certamine, quod modo explicavi, in eosdem pugnemus, attamen, nisi pluribus iteratisque actibus consuescamus eandemmet despicientiam adamare eaque gaudere, profecto ab impatientiae vitio nos exsolvere numquam valebimus, quod, cum praeclarae de nobis existimationi nimium quantum studeamus, in horrore fundatur, quem de contemptu ipso concipimus.

Et dum vitiosa radix ista vivit, in singulos dies usque eo pullulascit, quoad virtus elanguescat,

immo illa nonnumquam prorsus istam praefocat nobisque dein iuge conflat periculum toties corruendi, quoties occasio tribuetur.

Ex quibus profecto liquet, absque contrariis actibus, quos eliciendos dixi, numquam nos posse verum tenere virtutis habitum.

Advertatur praeterea, huiuscemodi actus adeo frequentes ac numerosi sint oportere, ut vitiosum habitum ex toto valeant destruere, qui cum multis vitiosis actibus cor nostrum possederit, ita non paucis oppositis actibus ex illo detrudendus est, ut deinde virtutis habitus illuc queat introduci.

At ego dico amplius: plures ad habitum virtutis comparandum actus boni opus sunt quam mali ad vitiosum habitum invehendum; illi enim, ut isti, a natura per peccatum depravata minime adiuvantur.

Praedictis et hoc superaddo, quod necesse insuper est, si virtus, in qua tunc exerceare, id exposcit, externos actus elicias interioribus conformes, verba nimirum habeas (ut in eodem exemplo immoremur) mansuetudinis atque amoris plena, et si datur, eidem servias, qui molestus et adversarius quoquomodo tibi exstitit.

Et quamvis actus hi cum interni tum externi revera essent aut tibi viderentur tanto spiritus tepore producti, ut eos contra omnem voluntatem tuam efficere videreris, nulla tamen ratione intermitti ipsi debent; enimvero, quantumvis imbecilli, firmam atque inconcussam in certamine te retinent tibique ad victoriam sensim iter exaequant.

Naviter igitur mentem erigas et apprime intendas, ut pertenues atque remissiores, nedum fervidos et efficaces cuiuslibet passionis motus ob-

tundas; illi enim ad vegetiores aditum muniunt, istique vitiosos deinde habitus in nobis progignunt.

Et quoniam nonnulli leviores concupiscentiarum motus a cordibus suis eradicare neglexerunt, ubi eiusdem passionis fortiores etiam motus superavere, contigit, inopinato ab iisdem ipsos hostibus intolerantius appetitos atque periculosius quam antea fuisse devictos.

Praeterea animum appellas velim ad atterenda quandoque et infringenda desideria rerum, quae necessariae non sint, quamvis liceant; namque inde bona plurima derivabis: in dies singulos instructior promptiorque ad te in ceteris edomandam efficieris; fortis expertaque evades in tentationum palaestra; varias daemonum insidias eluctaberis acceptissimumque Deo obsequium praebebis.

Filia, plane et aperte loquor. Si hoc pacto ad tui reformationem victoriamque solida haec sanctaque exercitia obire perrexeris, firmissime teneas te intra parvum tempus multum profecturam neque nomine tenus, sed re futuram spiritualem; verum qualibet alia ratione aliisque exercitationibus, quamquam ex animi tui sententia praecellentes forent tuoque gustui tantum saperent, ut eas exsequendo Deo tuo penitius adiungi et cum ipso dulcissima miscere colloquia tibi videreris, nullam tamen virtutem verumque perfectionis spiritum adepturam umquam te esse persuasum habeas. Qui (ut capite primo edocui) nec pendet nec ortum habet ab iucundis exercitationibus adque naturam nostram attemperatis, verum ab iis, quae illam cruci affigunt cum omnibus actibus suis et evangelicarum virtutum habitibus renovatum sic hominem Christo crucifixo creatorique suo intime uniunt.

Sicut autem vitiorum habitus efformantur ex pluribus ac frequentioribus actibus, quos superior depromit voluntas, quoties sensuum appetitibus cedit, ita e contrario nullus umquam ambigit evangelicarum virtutum habitus tum acquiri, cum divinae voluntati conformes actus saepe et saepissime elicimus, a qua ad unam modo, modo ad aliam virtutem evocamur.

Quemadmodum igitur voluntas nostra vitiis aut terrenis rebus addicta esse numquam sane potest, quantumlibet a vitio ac inferiore parte impetatur, usque dum illi cedat atque in illam propendeat, ita nec virtutis compos nec Deo umquam unita erit, quamvis ab inspirationibus Deique gratia perquam valide accersatur atque oppugnetur, nisi internis actibus ad Dei voluntatem ipsa se probe formet, tum etiam externis, cum necesse fuerit.

Caput XIV.

Quid peragendum, cum superior voluntas ab inferiore hostibusque devicta et penitus subacta videtur.

Si quando superior voluntas tua nulla vi pollere in inferiorem atque in adversarios visa fuerit, quod efficax propositum illis obsistendi in te non experiaris, stes attamen, nihil animo fracta, neque pugnam deseras; tamdiu enim victricem te reputes oportet, dum illis cessisse liquido non comperis.

Quemadmodum enim superior voluntas, ut actus suos edat, inferioris concursu non indiget, ita, si illa numquam non repugnat, ad deditionem cogi nequaquam potest, quantumvis acriter ab ista impugnetur.

Enimvero Deus voluntatem nostram ea libertate ac robore donavit, ut, quamquam omnes et sensus et daemones totusque mundus in ipsam arma caperent conspirarentque ad eam omni ope divexandam et urgendam; ipsa tamen, cuncti fremant licet, liberrime potest velle aut nolle totum id, quod vult sive non vult, toties, per totum id tempus, ea ratione et ad finem, qui sibi erit acceptior.

Quod si hostes hi quandoque tanto te impetu adorirentur premerentque, ut voluntas tua veluti praefocata, haud satis (ut ita dicam) spiritus ac virium haberet ad contrarium quempiam actum producendum, nihilominus nec animo cadas nec arma ponas, sed vocem tum maxime adhibeas teque haec verba expromens tueare: *Nequaquam; non cedo tibi; nolo te.* Eodem ferme pacto, quo quis hostem sibi instare ac sese ab eo opprimi advertens, cum illum cuspide ferire nequeat, ensis capulo percutit.

Et sicut idem aliquanto pedem referre pertentat, ut hostem mucrone traiciat pleniore ictu, tu quoque resilias in tui cognitionem, considerans re ipsa te nihil esse nihilque posse, atque fiducia in Deum, qui cuncta potest, obarmata, urgenti passioni ictum infigas, haec ingeminans: Adiuva me, Domine; succurre mihi, Deus meus. O Iesu, o Maria, ferte mihi opem, ne illi cedam.

Poteris adhuc, cum licuerit per adversarium et tempus abunde fuerit, voluntatis tuae imbecillitatem confirmare, ad intellectum refugiens et capita quaedam percurrens, ut eorum meditatione respiret voluntas viresque colligat. Ex. gr. cum persecutione sive quacumque alia afflictione vexaris, ab impatientiae motibus arietaris usque adeo,

ut illam voluntas tua ferre nequeat aut quidem nolit sufferre; quamobrem eam recrees velim, intellectu tuo puncta, quae subdam, sive similia perpendente.

Primo disquire, utrum qua exerceris calamitate digna sis, quod illi occasionem praebueris; namque illam si merita es, omne iustitiae debitum poscit, ut aequanimiter vulnus sustineas, quod tua ipsius dextera tibimet inflixit.

Secundo, insontem si te repereris, cogitationem dirigas ad alia peccata tua, ob quae Deus te nondum multavit, quaeque, uti oportet, necdum expiasti. Et cum perspicias divinam misericordiam immutasse supplicium, quod foret aeternum aut temporarium, sed equidem purgatorii, in aliam perexiguam huiusque vitae poenam, isthaec libenti non solum animo, sed etiam cum gratiarum actione amplectenda est.

Tertio, et quamvis permulta poenitentia solvisse debitum leviterque divinam maiestatem laesisse tibi videreris (quae numquam tamen in cogitationem tuam cadere debent), consideres necesse est ad regnum caeleste nullum alium patere ingressum quam per angustam tribulationum ianuam.

Quarto, etiamsi per aliam viam illud ingredi posses, amoris lege prohiberi deberes, ne ad hoc quidem mentem adiceres, quando Dei Filius una cum amicis membrisque suis omnibus per spinas ac crucem baiulans illuc intravit.

Quinto, quod autem modo et alias, quidquid contingat, potissimum respicere habes, voluntas Dei est, qui ob amorem, quo te prosequitur, indicibile capiet oblectamentum, quoties conspexerit, virtutis actus te elicere tuasque passiones atterere,

ut ipsius dilectioni respondeas fidaeque et strenuae bellatricis partes agas. Tum certo scias persecutionem eo acceptiorem Deo futuram, quo erit iniquior et ratione infligentis indignior tibique molestior ac toleratu difficilior; tunc enim in rebus quoque ex seipsis inordinatis tibique amarioribus approbas atque indiscriminatim diligis divinam voluntatem ac dispositionem, in qua sane quivis eventus, ab omni quantumlibet regula exorbitet, perfectissima tum lege tum ordine dispensatus est.

Caput XV.

Quaedam alia praecepta, quae pugnandi modum astruunt, et peculiariter in quem et qua virtute dimicandum.

Percepisti iam, filia, qua ratione pugnandum, ut ipsa te vincas et virtutibus adaugeas.

Scias modo praeterea, quo celerius ac facilius de hostibus tuis victoriam referas, consentaneum, immo necesse esse singulis diebus et praesertim cum amore proprio decertare, ut contemptus omnes atque molestias, quas ullo umquam tempore mundus tibi moliri possit, pro amicis unice dilectis habere consuescas.

Cum autem pugna ista minime praecauta nimiumque neglecta fuerit, contigit contingitque in dies (ut supra tetigi) difficiles, infrequentes, imperfectas atque instabiles victorias evadere.

Ad haec singulari magnitudine animi et fortitudine bellum capessas velim, quam nullo negotio obtinebis, si ipsam a Deo exposcas; si praeterea, ubi hostium tuorum rabiem ac odium perenne, phalangum exercituumque immanem numerum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

mente revolveris, e contrario perpendas bonitatem caritatemque Dei erga te infinite maiorem, ac longe multo numerosiores esse supernos angelos orationesque sanctorum pro te depugnantium.

Hac consideratione praehabita tot equidem mulierculae omnem mundi potentiam ac sapientiam, quoscumque carni insultus totiusque inferni furorem vicerunt atque expugnarunt.

Quapropter pertimescere numquam debes, quamvis hostium pugna crudescere ac toto vitae decursu duratura nec una ex parte apertos fere casus minitari tibi videatur; insuper enim non ignorare oportet vim artemque omnem inimicorum nostrorum in manibus esse divini imperatoris nostri, pro cuius honore proelium committitur, quem cum ineffabiliter aestimet et ad pugnam idemmet districte nos accersat, non modo vi nimia te opprimi numquam patietur, verum in aciem ipse dimicationemque pro te veniens, devictos tibi eos tradet, cum sibi placitum fuerit, potioreque tui commodo, licet ad extremum vitae cunctaretur.

Hae tuae tantummodo partes sunt, ut strenue confligas et quamquam non semel vulnereris, numquam ab armis discedas neque in fugam te conferas.

Tandem ut animose proelieris, decretorium et inevitabile bellum hoc esse, eumque necessario, qui pugnae aleam detrectat, comprehendi ab hostibus ibidemque mori scias.

Ad haec negotium nobis est cum eiusmodi naturae hostibus tantoque in nos odio concitatis, ut ab ipsis nec pax nec belli feriae sperari ullo pacto possint.

Caput XVI.

Qua ratione christianus miles summo mane in arenam descendere debeat.

Statim ac experrecta fueris, quod primum internus oculus tuus conspicere debet, tu ipsa es saepto aliquo circumiecto vallata, ubi lex ista edicta sit. Perenniter hic mortuus iacebit, quicumque pugnam refugit.

Ibidem ex adverso videaris tibi videre inimicum tuum sive perversam propensionem tuam, quam expugnandam suscepisti, perbelle armatam, ut te non uno vulnere confodiat mortique dedat; tum a dexteris imperatorem victoremque Christum Iesum, sanctissimam ipsius parentem Virginem Mariam cum carissimo sponso divo Ioseph, plurima angelorum sanctorumque agmina et praesertim Michaelem archangelum; postremo a sinistris infernum daemonem sociorum suorum copiis instructum, ut passionem tuam ad bellum cieat teque suggestionibus suis, ut illi decedas, instiget.

Interim quaepiam, velut angeli tui custodis, vox aures tuas ferire videatur, qui hoc te sermone compellet:

Tu hodie contra istum aliosque inimicos tuos pugnam committere debes. Non pertimescat cor tuum; noli metuere; noli cedere neque formidine neque ullo alio pacto adducta, quia Dominus Deus noster tuusque imperator hic tecum est, cunctis his gloriosis comitatus agminibus qui contra omnes adversarios tuos dimicabit neque ipsos permittet viribus aut artificiis praevalere. Firma stes; tibi vim facias atque cruciamentum sustineas, quod interdum experieris, te violenter excipiens. Ex

intimo cordis tui identidem clama Dominumque et Mariam Virginem cunctosque divos invoca, atque ita victoriam procul dubio tenebis. Si imbecilla es ac pravis habitibus praepedita, si hostes vi ac numero valent, praesidia, quae creator et redemptor tuus pro te advehet, longe plura sunt, Deusque tuus praeter omnem modum et absque ulla comparatione fortior est ardentioreque fervet voluntate te salvandi quam inimicus perdendi. Pugnes tantummodo nec perpeti quandoque te pigeat; laboris enim perpessione et vi, quam pravis propensionibus afferimus, animique angore, quo perversorum habituum causa conficimur, tum victoria emergit, tum magnus ille thesaurus obtinetur, quo anima caelorum regnum mercatur atque perenniter copulatur Deo suo.

In nomine Domini pugnam adamabis, armis hisce protecta, nempe diffidentia tui, fiducia in Deum, oratione atque exercitatione, de qua supra disserui, hosti illi atque passioni, quam perimendam aggressa es, certamen indicens ordine, quem mox attingam, modo resistentiae, odii modo, modo oppositae virtutis actibus, multiplici vulnere ad interitum usque eam consaucians, ut Deum oblectes, qui una cum tota triumphante Ecclesia pugnam tuam contemplatur.

Iterum dico: Certaminis haud taedeat; namque expendere opus est, quo vinculo teneamur omnes Deo cum serviendi tum placendi, et quae bellandi necessitas sit nobis imposita; si quidem bellum istud evadere nonnisi vulnerati ac perempti possumus, immo etiam quamvis Dei tui signa deserere ut perduellis adque mundum desciscere et carnis deliciis indulgere velies, adhuc proelia sustinere, velis nolis, oportebit et tot utique contraria petere, ut

saepius frons tibi multo sudore manabit mortisque cruciatus cor tuum configent.

Hic velim consideres, quod dementiae genus foret laborem atque molestiam sufferre, quae duriorem nobis tum laborem tum molestiam mortemque ipsam simul invehit, mala scilicet nullum umquam finem habitura, ut laborem illum declinemus, qui cito transiens aeternae vitae atque infinite beatae nos adiungit; per hanc enim in omne tempus Deo nostro perfruemur.

Caput XVII.

Quis ordo servandus in vitiosis passionibus edomandis.

Multum interest nosse, quis adhibendus sit ordo in hac pugna, ut consulto et cogitato, non autem casu et perfunctorie ineatur, uti compluribus, nec sine gravi damno suo, sollemne est. Ordo pugnandi in adversarios ac pravas propensiones tuas hic erit, nempe quod latebras cordis tui perlustrans, sedula inquisitione dispicias, quo cogitationum affectuumque genere idem cor obsideatur; qua passione possideatur durius atque tyrannidis in morem prematur, tum in illam potissimum arripias arma proeliumque instituas.

Si vero te ab aliis hostibus invadi contigerit, ille semper tibi erit petendus, qui tum maxime, actualiter et quidem comminus, in te gerit bellum; dein tamen praecipuum coeptum opus resumas.

Caput XVIII.

Qua ratione obsistendum subitis passionum motibus.

Ab impraevisis iniuriarum alteriusve adversitatis ictibus si tibi cavere nondum assueta es, ut in hoc tibi habitum compares, consuescas illos prospicere, tum identidem velle et denique praeparato animo opperiri.

Modus praevidendi motus istos hic est, quod sc. passionum tuarum qualitate expensa disquiras adhuc, quibuscum hominibus ac ubinam verseris diemque transigas; inde facile conicies, quid tibi evenire poterit.

Et cum quaelibet alia res contraria atque omnino inexspectata succedet, praeter adiumentum ex eo tibi accessurum, quod meditatis rebus animum praemunitum obieceris, hanc insuper viam tenere valebis:

Simul ac contumeliae sive alterius molestiae primos ictus percipis, accuratius enitere tibique vim adhibe, ut in Deum mentem intendas, ineffabilem ipsius bonitatem dilectionemque considerans, cuius instinctu hanc tibi adversitatem immittit, quo illam pro eius amore perferens, etiam atque etiam depurgeris, Deo tuo appropinques intimiusque cohaereas.

Ubi autem perspexeris, quantum capiet oblectamenti, si illam perpessa fueris, ad te conversa ipsa te increpa ac talia effare: Hem! Cur crucem istam tollere detrectas, quam nec is nec ille, sed caelestis Pater tuus tibi construxit? Tum ad crucem versa, maxima quaque patientia atque animi iucunditate eam amplexare in haec verba: O crucem

divinae providentiae manibus fabricatam, antequam nascerer! O crucem suavissimo crucifixi mei amore edulcatam! Iam nunc me tibi affige, ut me illi tradam, qui in te moriens me redemit.

Quod si, passione initio quidem praevalescente, cogitationem in Deum efferre nequires, immo sauciata decideres, nihilominus adlabora, ut quam primum illud exsequare, ac si vulnerata nequaquam fuisses.

Verum contra repentinos hos motus praesentissimum remedium est, causam, a qua dimanant, confestim amoliri.

Ex. gr. si ob amorem alicuius rei te subita mentis inquiete corripi animadvertis, quoties tibi eandem rem quis obturbat, modus huic cito consulendi est, quod nimirum assuescas affectum omnem erga ipsam amovere.

At si perturbationem non ipsa res, sed persona exsuscitat, cuius vel minima actio fastidium bilemque tibi movet, ex hoc tantum, quod eam exosam averseris, remedium sit huiusmodi, nempe quod ad illam diligendam ac pro cara habendam flectere coneris voluntatem tuam, si quidem non modo omnipotentis Dei digito formata eodemque divino cruore ac tu reformata creatura ea est, verum etiam (si illam sufferre volueris) inde facultatem arripies, Domino tuo te similem efficiendi, quem in omnes amor et benignitas mire commendant.

Caput XIX.

Modus pugnandi contra vitium carnis.

Peculiari et quidem diversa ab aliis ratione cum hoc vitio congrediendum est.

Ut igitur ordinatim pugnare scias, tria tempora observes, nimirum:

Antequam tenteris; cum tentaris; postquam tentatio resedit.

Ante tentationem dirigenda acies est in causas, quae ipsam ingerere solitae sunt.

Primo pugnare habes, non vitio occurrens, sed quantum in te est, a quacumque tum occasione tum persona profugiens, quae tibi periculum vel minimum facessere valeant.

Quod si cum aliquibus ex eo numero agendum quandoque tibi fuerit, celerrime transigenda res est, cum modestia et gravitate frons contrahenda, verbaque tua asperitatem potius quam nimiam comitatem atque affabilitatem sapiant.

Ne tibi praefidens sis, quamvis carnis stimulos nec sentias nec senseris tot equidem annos, quot plurimorum consuetudine usa fuisti; etenim maledictum hoc vitium, quae pluribus annis non obtinuit, unica hora extorquet a nobis et saepe apparatus suos clam adornat atque eo periculosius nocet et incurabilius vulnerat, quo amicius se gerit, levioremque praebet suspicionem.

Et saepe numero maior est timori locus (uti compluries experientia docuit docetque in dies), ubi per speciem honesti consuetudo provehitur, ex. gr. cognationis, debiti officii sive virtutis, quae in dilecta persona resplendeat; cum nimia enim atque imprudenti familiaritate venenata sensus delectatio miscetur, quae leniter ac sensim distillans animique medullas pervadens in singulos dies magis magisque rationem usque eo obnubilat, ut pro nihilo ducere incipiamus subrepentia pericula, blandiores oculorum emissiones, molliora verba ultro citroque habita et conversationis voluptatem; at-

que in hunc modum cum res utrimque se habeat, ingenti deinde ruina collabimur aut molestissima ac superatu difficili tentatione implicamur.

Iterum dico: Fuge; stupa enim es nec ipsa tibi fidas, quod perfusa atque imbuta sis aqua probae fortisque voluntatis adque mortem paratior quam ad Dei offensam; quandoquidem ignis frequenti hac consuetudine bonae voluntatis aquam paulatim exsiccans, cum minus illi attendetur, usque adeo conflagrabit, ut nullus habiturus sit neque ad cognatos neque ad amicos respectus: Deus neutiquam timebitur; non aestimabitur honos, non vita, non inferni poenae, quotquot eae sint. Propterea fuge, fuge, nisi forte vis reipsa intercipi, comprehendi atque enecari.

Secundo otium evites, vigilanter ac sedulo cogitationibus operibusque condicioni tuae convenientibus detineare.

Tertio superioribus tuis numquam resistas, sed acquissimo animo obtemperes abiectaque omni cunctatione ipsorum mandata exsequare eaque lubentius, quae te magis humiliant tuaeque voluntati ac naturalibus propensionibus tuis pugnacius obversantur.

Quarto ne temere umquam proximum tuum iudices, et potissimum de hoc vitio: quod si manifeste lapsus fuerit, illius potius vicem doleas eumque commisereare; ne illi succenseas, ipsum asperneris, sed humilitatis atque tui cognitionis fructum pro te decerpe, pulverem et nihil te esse recognoscens; per orationem ad Deum accede, et congressus vel tenuem periculi umbram trahentes, ut cum maxime, declina.

Sin autem alios facile iudicaveris atque contempseris, Deus tuo utique impendio corriget te,

in eandem te labi noxam permittens, ut eo pacto superbiam tuam detegas ac, ubi te humiliaveris, utrique vitio pharmaca perquiras.

Quod si neque corruis neque mentem hanc exuis, scito equidem, de animae tuae statu magnopere dubitandum.

Quinto et ultimo loco accuratius attendas, ne cum spiritualium deliciarum donis affunderis earumque fruitione cumularis, vane quodammodo ipsa tibi placeas, autumans, te aliquid esse tuosque adversarios nullum amplius in te bellum moturos, quandoquidem iam tibi videris cum stomacho, horrore atque odio illos despicere; namque incauta si in hoc fueris, haud difficile cades.

Quod ad *tempus tentationis* attinet, explores velim, utrum illam interior an exterior causa ingenuerit.

Pro exteriore causa intelligo tum oculorum tum aurium curiositatem, exquisitam nimis vestium munditiem, consuetudines ac colloquia, quae nos ad hoc vitium incendunt.

Remedium tum maxime adhibendum honestas modestiaque est, adeo ut, quae eiusmodi tentationibus viam sternunt, nec oculis nec auribus usurpare ullo pacto velimus; verum salubrius erit fuga, de qua ante dixi.

Interior causa enascitur vel e corpore, quod validum et paulo succulentius sit, vel e mentis cogitationibus, quas pravi habitus aut daemon nobis suggerant.

Vivida nimium vegeti corporis habitudo mortificanda est ieiuniis, flagris, ciliciis, vigiliis atque aliis huiuscemodi afflictationibus, qua prorsus ratione cum prudentia tum obocdientia eas praecipient.

Quantum ad cogitationes, undecumque eae proficiscantur, haec erunt remedia: Variis in exercitiis occupatio, quae singulorum statum deceant, oratio ac meditatio.

Orationi hoc pacto insistendum: Ubi primum istas non solum cogitationes, sed ipsarum praecursores accedere conspicaris, ilico mentem ad crucifixum retrahe in haec verba: Mi Iesu, mi dulcis Iesu, hic iam suppetitias fer, ne ab hoc prehendar hoste. — Et crucem, e qua Dominus tuus pendeat, quandoque amplexata, sacrorum pedum vulnera saepius osculare, intimo ex corde verba ista depromens: O decora vulnera, vulnera casta, pia vulnera, iam nunc miserum impurumque cor istud sauciate, ut Dei offensam praecaveam!

Meditationem nollem equidem, cum maxime carnalium voluptatum tentationes urgent, quibusdam punctis immorari, quae non pauci libri praescribunt ad huius mali remedium, expendere nimirum vitii huius vilitatem insatiabilitatemque, molestias atque amaritudines ipsum subsequentes, pericula iacturamque bonorum, vitae, honoris atque alia id genus. Neque enim ista tentationem vincendi certissima via semper est, immo detrimentum aliquando afferre potest; nam intellectus, quamvis ex una parte cogitationes has eliminet, ex altera occasionem nobis conflat nosque in periculum adducit oblectationem ex iis capiendi, tum eidem assentiendi oblectationi; quapropter verum remedium est eas non solum penitus aufugere, verum etiam quamcumque rem, ipsis licet contrariam, quae easdem queat exsuscitare.

Idcirco meditatio tua ad hunc finem obeunda in vita ac passione crucifixi Domini versetur. — Quodsi, dum meditaris, cogitationes eaedem menti

tuae, quamvis reluctanti, obviae fuerint atque (ut facile continget) consueta duriorem tibi molestiam exhibeant, non ideo tamen absterreare, non meditationem omittas neque, ut illis obsistas, deflectare in ipsas; verum quam poteris attentius in meditatione tua perseveres, eiusmodi cogitationum curam omnem abiciens, ac si tuae nequaquam forent; hoc enim nullus alius iis adversandi commendatior est modus, etiamsi indesinenter bello te quatiant.

Postremo hac sive huiuscemodi petitione meditationem claudes: «Eripe me de inimicis meis, creator ac redemptor meus», ad vitium mentem haudquaquam adiciens; ipsius enim recordatio ne sola quidem sine periculo est.

Numquam cum eiusmodi tentatione disceptes, utrum assensum praebueris nec ne; etenim boni praetextu deceptio daemonis haec est, ut te inquietam, diffidentem atque pusillanimem reddat, aut saltem, quia dum talibus te discussionibus detinet, attactu quopiam delectationis cor tuum inescandi spem habet.

Propterea (modo huic tentationi te assensam fuisse clare non videas) abunde tibi sit patri spirituali totum breviter confiteri, ac ubi de illius sententia consilium ceperis, quieta mente consistas neque id amplius recogites.

Verum ut eidem quamlibet cogitationem tuam fideliter fac detegas, nec umquam ab hoc sive rubor sive quid aliud te avertat.

Quoniam si humilitatis virtute ad hostes omnes superandos opus habemus, profundius modo, quam alias necesse est, nos humiliemus; etenim vitium istud plerumque superbiae nostrae poena est.

Ubi tentatio abscessit, hoc tibi peragendum: Quantumvis libera atque omnino tuta tibi videare, mentem nihilominus ab obiectis, quae tentationis causa exstitere, prorsus abducas; etiamsi obtentu virtutis alteriusve boni oppositum gerendum arbitrareris; namque haec fraus est corruptae naturae atque vaferrimi adversarii laqueus, qui angeli lucis personam induit, ut nos in tenebras adigat.

Caput XX.

Modus pugnandi contra negligentiam.

Ne miserando negligentiae famulatui manciperis, id quod perfectionis semitam non solum impediret, verum etiam hostibus te dederet.

Quamcumque tum curiositatem, tum animi affectionem terrenis rebus haerentem, tum quae condicionem tuam dedecet occupationem effugere oportet.

Dein pro viribus eniti debes, ut continuo piae cuilibet inspirationi tuorumque superiorum mandato obsequare, nihil non eo tempore ac ratione, quae acceptior ipsis erit, exsequendo.

Nec ullam vel brevissimam moram trahas; sola enim prior morula alteram advehit; haecque tertiam aliasque plurimas, in quas proclivius, quam in priores, sensus vergit; iisque decedit, cum iam voluptate in ipsis degustata illectus inescatusque sit.

Ideo aut tardius opus exordimur aut tamquam molestum ex toto quandoque missum facimus.

Eoque pacto negligentiae habitus adolescit paulatim ac postea tantopere grandescit, ut quo sane momento ipsius nos compedes remorantur, perquam diligentes ac impigros deinceps nos futuros,

statuamus in animo ipsique nos erubescamus, negligentissimos hucusque fuisse animadvertentes.

Negligentia haec per totum hominem pertinet effusoque veneno suo voluntatem non solum inficit in tantum, ut ipsa abhorreat opus, verum etiam intellectui tantam offundit caliginem, ut ne perspiciat, quam inania et quam lapsabundo fulcimento innixa sint proposita illa navandi in posterum mature ac diligenter id, quod cum e vestigio sit peragendum, voluntario aut prorsus omittitur aut saltem in aliud tempus differtur.

Nec satis est efficiendum opus celeriter exsequi, verum peculiari tempore, quod operis cum naturae tum qualitati debetur, omnique diligentia, quae ipsi congruit, obeundum est, ut tanta, quanta fieri potest maxima, perfectione absolvatur.

Non enim diligentia, sed callidissima negligentia est opus maturare ipsumque praepropera festinatione expedire, absque eo quod recte perficiatur, ut nobis postea desidiosa quiete torpere liberum sit, in qua mentem animumque defixeramus, dum tanta celeritate opus transigebatur.

Totum hoc malum ex eo procedit, quod minime expenditur valor boni operis tempestive facti, atque animo parato ad occurrendum labori et difficultati, qua negligentiae vitium tirones vel maxime retardat.

Consideres igitur saepe saepius unicam in Deum erectionem mentis solamque ad ipsius honorem genuflexionem omnibus mundi thesauris praestare, ac quotiescumque vim nobis vitiosisque passionibus inferimus, angelos e caelorum regno gloriosae victoriae coronam animae nostrae deportare.

Deum e contrario gratias, quibus negligentes cumulaverat, paulatim ab ipsis auferre easque di-

ligentibus exaugere, quibus deinde viam aequat, per quam intrent in gaudium Domini.

Labori atque difficultati, si initio tantum virium nondum experiris, ut strenue occurras, eam ita occultes necesse est, ut minor videatur, quam quae censebatur a negligentibus.

Exercitatio tua fortasse exiget ad virtutem quampiam acquirendam multos equidem actus multorumque dierum laborem, hostesque expugnandi plurimi fortesque videntur. Incoha perinde actus elicere, ac si pauci eliciendi paucisque diebus laborandum tibi esset; unicum adorire adversarium, quasi nullus alius petendus esset, Deoque confisa firme teneas, eiusdem auxilio ipsis te esse robustiorem; hoc enim pacto negligentia deficere incipiet, tuque dein disponeris, ut contrariam virtutem pedetemptim in animam introducas.

De oratione idem dico: Exercitationi tuae forsitan orationis integra danda est hora, quod negligentiae tuae durius videtur; orationem ineas, ac si per octavam horae partem esset orandum, sic ad alteram facile transibis et ad reliquas deinceps horae partes.

At si quandoque in altera aut in reliquis horae partibus violentam nimis tum repugnantiam tum difficultatem experireris, tunc exercitationem tuam intermittas, ne teipsam fastidias; ita tamen, ut dilatam paulo post exercitationem instaures.

Idem quoque tibi servandum in exterioribus operibus, cum plurima eiusmodi suscipienda sunt, quae cum negligentiae tuae multo plura difficilioraque videantur, tota perturbaris; nihilominus integro animo ac pacate ab uno incipe, ac si nullum aliud exsequi deberes; nam primo diligenter absoluto, longe minore labore, quam qui

negligentiae tuae subeundus videbatur, cetera omnia expedies.

Quodsi hoc modo nequaquam te gesseris nec labori ac difficultati, quae occurret, obviam prodieris, negligentiae vitium in te adeo valescet, ut labor atque difficultas, quam virtutum exercitatio principio secum advehit, non modo cum praesens, sed etiam cum absens erit, anxietate te sollicitatura sit; ab eaque, velut a re invisa, abhorrebis; iugiter enim vereberis, ne quis te inimicorum invadat atque exerceat, tibique quempiam imminentem, qui rem aliquam mandet, cernere videberis; unde in ipsiusmet quietis sinu inquies eris.

Et profecto, filia, negligentiae vitium occulti veneni sui tabe paulatim marcescere non modo facit primas ac teneriores radices, e quibus virtutum habitus enasci debuerant, sed et alias habituum iam adeptorum; nam vitae spiritualis medullam corrodit atque consumit, ut vermis lignum; hocque medio daemon quibuslibet et potissimum spirituali profectui addictis insidias struit ac laqueos tendit.

Evigila igitur ac bonum operare vestisque nuptialis pannum tum texere noli, cum ea iam amicta esse debes, ut obviam exeas sponso.

Singulis diebus recordare, a quo tibi mane conceditur, haud sponderi vesperum, cumque vesperum indulgeatur, subsequens mane nequaquam promitti. Ergo unaquaeque horarum puncta iuxta Dei placitum insumas, ac si nullum aliud tempus reliquum esset, eoque magis, quo singuli momenti perquam districta ratio reddenda est.

Monito isto caput obsignetur. Diem illam perdidisse arbitreris (quamvis negotia multa expedieris), qua de pravis propensionibus tuis propriaque

voluntate multiplicem victoriam non rettuleris neque Deo tuo gratias egeris pro ipsius benefactis eiusque praesertim passione, quam doloribus refertam ad tui salutem pertulit, ac pro paterna clementique animadversione, qua te coarguit, ubi inaestimabili tribulationis alicuius thesauro dignata fueris.

Caput XXI.

Quomodo sensus regendi sint iisque utendum sit ad divinitatem contemplandam.

Singulari plane vigilantia et assidua exercitatione opus est, ut exteriores sensus regamus appositeque gubernemus; siquidem appetitus, tamquam corruptae naturae dux praefectusque, in voluptatem atque oblectationum inquisitionem prono impetu fertur cumque eas solus nequeat abripere, sensibus veluti militibus suis ac naturalibus instrumentis utitur, ut in ipsorum obiecta manus iniciat, quorum species eliciens trahensque ad sese, in anima penitius sculpit; unde postea voluptas emanat, quae propter animae carnisque cognationem per omnes eos sensus effunditur, qui huiusce delectationis susceptibiles sunt; inde vero tam in animam quam in corpus communis contagio permeat totum corrumpens.

Damnum perspicis, remedium attende.

Diligenter observa et cave, ne sensus tuos liberius vagari ac, quo velint, excurrere sinas, neque ipsis utere, ubi sola delectatio, non autem rectus quispiam finis sive utilitas sive necessitas ad hoc agendum te adducat; quodsi, te nihil advertente, longius provecti fuissent, eos fac retrahas atque ita moderēris, ut, cum antea inanium vo-

luptatum captivi misere fierent, e singulis modo obiectis nobilem aliquam praedam auferant condantque in anima, quae, seipsam recipiens, potentiarum suarum alas ad Dei contemplationem in caelum extendat. Id quod assequi hoc pacto valebis:

Cum sensibus tuis externis, quicumque ille sit, aliquod sistitur obiectum, a re creata spiritum in illa insidentem cogitatione tua seiungas consideresque, nihil omnino illius, quod sensibus tuis subiacet, ipsam ex se habere, sed totum esse Dei opus, qui Spiritu suo invisibiliter eidem largitur illud Esse, bonitatem, pulchritudinem omneque bonum in ea contentum; hic vero pergaudeas, solum Deum tuum tot tamque diversarum perfectionum in rebus elucentium causam ac principium exsistere illasque omnes in seipso eminenter complecti; etenim nihil aliud eae sunt nisi infinitarum Dei perfectionum plus quam minimus gradus.

Cum in contemplatione rerum, in quibus nobile Esse resplendeat, te detineri animadvertes, cogitatu tuo creaturam ad nihilum suum rediges, mentis oculum in supremo creatore defigens, qui praesens ibi est ipsisque illud Esse impertivit, ac in eo tantummodo delectationem percipiens, dices: O divinam essentiam summopere concupiscibilem! Quam vero ego lubens sum, quod sola sis infinitum cuiuslibet Esse creati principium!

Arbores pariter, herbas aliaque huiusce generis conspiciens, intellectu cernes, vitam, quam vivunt, non ex seipsis, sed ab invisibili Spiritu, qui eas solus vivificat, habere et inquies: Ecce vera vita, ex qua et per quam omnia vivunt et crescunt. O vivum cordis mei gaudium!

Eodem pacto brutis animantibus visis ad Deum, qui tum sensum tum motum ipsis indidit, mentem eleves in haec verba: O primum motorem, qui omnia movens in teipso immobilis es! Quantopere de tua stabilitate firmitateque laetor!

Cum creaturarum elegantia te allici sentis, quod vides, a Spiritu, quem minime vides, abstrahe ac perpende, decorem omnem extrinsecus apparentem a solo Spiritu invisibili, qui externam eam speciem formavit, emanasse, totaque hilaris facta dicito: En fontis increati rivulos. En guttulas oceani infiniti omnis boni. Quanto emicat cor meum gaudio, dum aeterna illa immensaque pulchritudo, cuiusvis creatae formositatis origo et causa obversatur animo!

Probitatem quoque, sapientiam, iustitiam aliasque in aliis virtutes detegens, eadem discretione praehabita, Deo tuo inquies: O ditissimum cuiusque virtutis thesaurum! Quae est nunc mea voluptas, quod omne bonum a te et per te unice effluat cunctaque divinis perfectionibus tuis aequiparata instar nihili sint! Gratias tibi ago, Domine, pro hoc et quovis alio bono, quo proximum meum cumulasti. Recordare, Domine, paupertatis meae, et quantopere egeam virtute (hac et illa).

Cum ad aliquid agendum manus extendis, primam actionis illius causam Deum exsistere teque nihil aliud quam spirans ipsius instrumentum esse recogites, ad quem adiciens mentem haec ingemines verba: Quam libens audio atque interne exsulto, supreme universorum Domine, me nil sine te peragere posse, immo rerum omnium primum ac principalem te esse opificem!

Cibum aut potionem aliquam degustans, saporem illum ipsis Deum miscuisse mediteris in eoque

solo delectata, sic effare: Gratulare tibi, anima mea, quod sicut nulla extra Deum tuum reperitur vera iucunditas, ita in ipso solo oblectari per omnia potes.

Si odorum suavitate sensus capitur, in eo oblectamento ipsum immorari minime sinas, verum ad Deum, e quo odor ille afflatur, intellectu pervadas interioreque consolatione gestiens dicas: Eia fac, Domine, quod sicuti nullam non suavitatem abs te effundi pergaudeo, ita anima mea, quacumque terrena voluptate exuta atque denudata, in altum ascendat naribusque tuis non iniucundum exspiret odorem.

Cum sonitus cuiuspiam aut cantus harmonia aures tuae resultant, intenta in Deum mente dic: Quanta laetitia perfruor, Dominus meus et Deus meus, ob infinitas perfectiones tuas, quae una omnes non modo supercaelestem in te ipso harmoniam edunt, verum etiam in angelis simul et in caelis inque creaturis universis admirabilem concentum efficiunt!

Caput XXII.

Quomodo iisdem rebus utendum, ut sensus gubernemus transeamusque ad meditationem Verbi incarnati in ipsius vitae passionisque mysteriis.

Huc usque docui, qua ratione a sensibilibus rebus ad divinitatis contemplationem transire possis; disce modo, quo pacto ab iisdem motiva decerpas pro meditatione Verbi incarnati, sacratissima vitae ac passionis ipsius mysteria percurrens.

Universi res omnes ad hoc conducere aeque possunt, modo in ipsis, ut supra, summum Deum

intueamur, uti solam ac primam causam, quae iis omne illud Esse, pulchritudinem atque excellentiam, qua praestant, elargita est; tum expendamus, quam ingens et immensa sit eius bonitas; cum enim totius Esse creati et principium et Dominus fuerit, eo usque se demisit, ut homo fieret, pateretur mortemque pro hominis salute subiret, et quidem permittens, ut eadem manuum ipsius opera caperent arma, ut eum in crucem agerent.

Multa praeterea ob mentis oculos potissimum nobis ponunt haec sancta mysteria, ut arma, funes, flagella, columnae, spinae, arundines, clavi, mallei aliaque similia, quae passionis ipsius instrumenta fuere.

Pauperes casae ad memoriam nobis referent stabulum ac praesaepe Domini. Cum pluit, recordatio subeat pluviae illius divini cruoris, quae in horto e sacratissimo Christi corpore distillans terram irrigavit; conspecti lapides eos nobis exhibebunt, qui in ipsius morte scissi sunt; tellus motum, quo tum tremefacta nutavit; sol tenebras, quibus atratus fuit; cumque aquas inspiciemus, animo occurret illa aqua, quae ex ipsius sacratissimo latere manavit. Idem dico in ceteris eiusmodi rebus obeundum.

Vinum aut aliam potionem delibans, reminiscere aceti ac fellis, quo Dominus potatus est.

Si te odorum suavitas prolectat, in mentem veniat cadaverum putor, quo Christus in Calvariae monte affectus fuit.

Indumenta cum accipis, memorare, aeternum verbum humanam carnem induisse, ut te divinitate sua convestiret.

Positura vestes, recole Christum exspoliatum nudumque, ut pro te flagellis crucique traderetur.

Cum turbae cuiuspiam tumultus ac clamor obstrepit, detestabiles eas voces excipere videaris: *Crucifige, crucifige, tolle, tolle*, quae divinas aures complevere.

Quoties horologium, campani aeris pulsu, horas enuntiabit, mentem tuam diverberet concitata illa atque asperrima cordis palpitatio, qua Iesus se agitari passus est, cum in horto passionem mortemque adventantem coepit expavescere, vel acerbissimi ictus illi personare videantur, quibus impacti clavi, ut figeretur cruci.

Quandocumque maestitiae sive doloris occasione te aut alterum intercipiet, ponderes ea omnia tamquam nihilum putanda esse incomprehensibilium dolorum comparatione, qui Domini tui corpus animamque divexarunt summeque confecere.

Caput XXIII.

Quibus aliis modis pro occasionum diversitate sensus moderemur.

Postquam visum est, quomodo ex sensibilibus rebus ad contemplationem divinitatis ac mysteriorum incarnati Verbi intellectus erigendus sit, hic alias rationes annectam, quibus variae meditationes ex illis eliciantur, ut animarum palatum, sicuti diversa appetit, ita multa dissimiliaque fercula apposita habeat; praeterea simplicibus prodesse non modo id poterit, verum iis etiam, qui acutum ingenium possident ac in via spiritus perfectionis longius progressi sunt, qui in quocumque reperiatur, non semper aeque dispositus neque ad altiores speculationes paratus est.

Nec metuas, ne tanta rerum varietate confundaris, dummodo prudentiae leges aliorumque consilia attendas, quae velim cum humilitate et fiducia sequare, non in hoc solum, sed et in quolibet alio praecepto, quod tibi tradiderim.

Dum tot formosa atque ab hominibus aestimata obiecta contueris, haec omnia, si caelestibus divitiis aequentur, vilissima esse et ut stercora arbitreris; ad istas autem (universis mundi rebus tibi desipientibus) toto affectu cordis aspira.

Solem suspiciens, animam tuam eo esse lucidiorem pulchrioremque, si modo creatoris sui gratia perfruatur, aliter inferni tenebris obscuriorem magisque abominandam censeas.

Corporis oculos ad caelum, quod tibi incumbit, extollens, animae tuae oculi ultra progredientes, caelum empyrium subeant, ac in ipso cogitationem defigas, in eo videlicet loco, qui tibi pro aeterno atque beatissimo hospitio apparatus est, innocens modo in terris degas.

Cum aves occinunt aliive modulantur vocem, internas aures ad paradisi cantus arrige, ubi perpetuum alleluia resonat, Deumque deprecare, ut efficiaris digna, quae cum caelestibus spiritibus ipsum perenniter collaudes.

Cum venustate creaturarum te delectari advertes, intellectu dispicias infernum anguem in ipsis latere, qui intentissimus excubat, totusque vacat tibi occidendae aut saltem vulnerandae, in quem invecta sic inclamabis: Sed heus tu, maledicte serpens! Ut captiose delitescis? Ut ad me devorandam paratus es? Postmodum ad Deum tuum conversa inquies: Benedictus es, Deus meus, qui inimicum meum mihi patefecisti meque ab eius rabidis eripuisti faucibus.

Huiusmodi illecebra elusa, ad crucifixi vulnera cito convola, in ipsis mentem plane occupans eaque lustrans, quantos in sacratissima carne dolores passus sit Dominus tuus, ut te peccato eximeret tibique carnis voluptates redderet invisas.

En et modus alter periculosum hoc blandimentum eluctandi. Attentius intimiusque pensatus, quale post mortem illud erit obiectum, quod oculos modo tantopere lenocinatur.

Dum ambulas, hanc instes considerationem te scilicet, quot gradus tollis, totidem morti appropinquare.

Sic aves volitare per aerem et aquas fluere aspiciens, contemplare, quam velocius vita tua delabatur atque finem volando approperet.

Cum validus ventus perfurit fulgurative tonatque, tremendus iudicii extremi dies menti illucescat, flexisque genibus Deum adores, ac deprecaris, ut gratiam spatiumque tibi largiatur te rite praeparandi, ut in conspectu celsissimae maiestatis tum temporis digne te sistas.

Pro casuum tibi accidentium diversitate huiusmodi sit exercitatio tua: cum dolore aliquo veri gratia vel animi aegritudine maceraris, cum te calor aut frigus aut aliud incommodum incessit, aeternae Dei voluntati cogitationem adicias, cui ad utilitatem tuam placitum est, ut molestiam illam ea mensura eoque tempore perpetiare. Unde pergaudens ob amoris argumentum, quod tibi Deus exhibet, et occasionem, quam nanciscens ipsi serviendi in quacumque re, quae acceptior illi sit, in corde tuo dic: Nunc iam divina in me voluntas adimpletur, quae ab aeterno suaviter disposuit iussitque calamitatem istam modo a me sustineri. De hoc iugiter lauderis, mi benignissime Domine

Cum pium aliquod cogitatum mens tua concipiet, Deum e vestigio animo perquiras, illud ab eo manasse recognoscas, ipsique idcirco gratias agas.

Cum libros perleges, videaris tibi Dominum tuum videre verba illa dictantem eaque perinde excipias, ac si e divino eius ore fluerent.

Crucem sanctam respiciens ipsam intuere, velut militiae tuae vexillum, quod si deserueris, in crudelium inimicorum manus incides, idemque si secuta fueris, gloriosis exuviis onusta ad caelum pervenies.

In iucundissimam Virginis Mariae imaginem oculos intendens, ad eandem in paradiso regnantem cor tuum appellas eique gratias habeas, quod Dei tui voluntati obsequi parata numquam non fuit; quod mundi redemptorem peperit, lacte pavit aluitque; quod demum in hac pugna spirituali numquam nos favore suo auxilioque destituat.

Icones sanctorum tot tibi antesignanos bellatoresque repraesentent, qui cum agonis sui cursum animose compleverint, viam tibi adaperuere, in qua, si eorundem vestigiis institeris, una cum ipsis aeterna gloria coronaberis.

Ecclesias invisens, inter alias pias meditationes hanc etiam poteris habere, nempe quod anima tua templum Dei sit ideoque puram ac mundam, utpote ipsius habitaculum, servare debeas.

Simul ac salutationis angelicae tria signa percipies, quocumque ea tempore dentur, excurres perbreves, quae subsequuntur, meditationes sacris iis verbis conformes, quae ante singulas caelestium harum precum recitare solemus.

Ad primum signum Deo gratias age pro legatione illa, quam de caelis in terras misit, quaeque salutis nostrae primordium fuit.

Ad alterum Mariae Virgini gratulare dignitatum culmen, ad quod singulari profundissimaque humilitate sua fuit evecta.

Ad tertium infantem divinum, recens conceptum, cum beatissima parente angeloque Gabriele adora.

Neque obliviscaris honoris causa ad unaquaeque signa caput paulo demittere; sed aliquando magis ad tertium.

Hisce meditationibus per tria signa partitis quovis tempore uti poteris.

Quas subdo, pro vespere, mane et meridie dispertio, haeque in Domini passione versantur; tenemur enim vel maxime meminisse identidem dolorum, quos Deipara tum pertulit, nosque ingratitudinis nota inurendi essemus, nisi debitum hoc persolverimus.

Vespere purae huius Virginis angores recenseas pro sanguineo sudore, comprehensione in horto ac benedicti Filii doloribus internis, quos totam eam noctem perpessus fuit.

Mane afflictionum ipsius commiseratio te moveat, cum idem Filius Pilato praesentatus est, morti adiudicatus crucemque baiulavit.

Meridie cogitationi tuae gladius doloris insideat, qui dolentis insolabiliter Genitricis animam pertransivit, cum Dominus cruci affixus est exspiravitque et lancea sacratissimum ipsius latus crudelissime aperuit.

Meditationes istas dolorum Virginis obire poteris a vespere feriae quintae ad meridiem usque sabbati, alias aliis diebus. Peculiari tamen devotioni tuae atque occasionibus, quas tibi externa obiecta perhibebunt, totum hoc remitto.

Tandem ut modum sensus tuos regendi brevi astruam, ita praeparatum animum teneas, ut qua-

cumque re, et casu adveniente, neque moveri neque attrahi ideo te sinas, quod res ames aut abhorreas, sed ut solius Dei voluntati obsecundes, eas tantum amplectens sive reiciens, quas amplectendas sive reiciendas Dominus imperat.

Porro advertas praedictos modos sensus tuos gubernandi me tibi minime tradidisse, ut in iis tantummodo occuperis; etenim fere semper mentem collegisse Deoque tuo adstare oportet, cuius voluntas est, ut frequenti actuum productione inimicos tuos vitiosasque passiones edomare contendas, tum iis renitens tum contrarios virtutum actus eliciens; verum ipsos edocui, ut rem apte gerere scias, quando opus erit.

Nam sciendum est parum nos equidem proficere, cum plures exercitationes, licet in seipsis optimae, suscipiuntur; plerumque enim hae sunt mentis implicatio, amor proprius, instabilitas ac daemonis laqueus.

Caput XXIV.

Modus regendi linguam.

Plane admodum indiget homo linguam suam probe regere frenoque iniecto moderari; unusquisque enim vehementer in id propendet, ut eam sinat quo velit excurrere ac per ea, quae sensus nostros blandius oblectat, evagari.

Multiloquium a superbia quapiam radices trahit, qua multum sapere cum videamur nobis inque conceptibus nostris ipsi nobis placeamus, in aliorum mentibus per nimias repetitiones eos imprimere summa ope conitimur, ut eorum magistros perinde agamus, ac si a nobis discere egerent.

Paucis exprimi nequeunt mala, quae e pluribus verbis enascuntur.

Loquacitas mater est acediae, argumentum inscitiae ac stultitiae, detractionis ianua, mendaciorum administra piique fervoris refrigeratio.

Sermo uberior vitiosis passionibus vires aggerat, ex quo postmodum incenditur lingua pergitque eo facilius indiscrete loqui.

Longiorem cum iis sermonem producas nolim, qui aegre te auscultant, ne illis taedium afferas; idem praesta cum iis, qui lubentius dant aures, ne modestiae finibus excedas.

Vide, ne ferventius nimiumque elata voce loquare, utrumque enim valde odiosum est praesumptionisque ac vanitatis praebet indicium.

Numquam, nisi simplici necessitate compulsa, de te, de rebus tuis deque tuis consanguineis sermonem instituas; quem si instituere opus est, quam brevius et compressius poteris, illum absolvas. Si qui copiosius fortasse dicere videbuntur, in bonam partem id coneris vertere, verum ne eos imitere, quamvis sui tum despicientiam tum accusationem ipsorum verba spectarent.

De proximo tuo deque rebus ipsum attingentibus, quo pauciora poteris, verba facias, nisi velis illum dilaudare, ubi opportunitas exiget.

Lubenter loquere de Deo et potissimum de ipsius amore ac bonitate, verum metuens in hoc quoque te delinquere posse; propensius attende, quid de eo alter enuntiabit, illiusque verba in cordis tui intimum reconde. Quod ad alia, vocis sonus tantummodo auribus tuis accidat; interea mens efferat sese Deoque sistat; quod si loquentem auscultes necesse est, ut illum percipias ac

responsum des, ne oculos idcirco animumque ad caelum, in quo degit Deus tuus, adicere omittas; sed ipsius celsitudinem contuere, uti vilitatem tuam numquam non prospicit.

Quidquid dicendum in mentem cadet, antequam ad linguam delabatur, non incuriose tecum agites animo; si quidem bonum esse advertes, multa numquam e corde tuo depromi. Sed insuper scito, longe melius fore haud pauca quoque eorum praeterire silentio, quae tunc effari utile esse arbitraberis, id quod utique nosces, si huc mentem flectas, ubi sermonis occasio effluxerit.

Silentium, filia mea, valentissimum firmamentum ac robur est pugnae spiritualis certaque victoriae spes.

Silentium familiare est illi, qui de seipso diffidit fiditque Deo; sanctae orationis custos est atque mirabile adiumentum ad virtutum exercitationem.

Ut linguam continere assuescas, tum damna atque pericula loquacitatis tum permagna silentii bona identidem percurras; virtutis huius amorem concipias ac per aliquod temporis spatium (ut habitum formes) sileas etiam, ubi tunc loqui haud male caderet, modo illud nec tibi nec alteri in detrimentum vertat.

Huic quoque maxime conducet hominum consuetudines evitare, quoniam earum vice angelorum sanctorumque et ipsius Dei consortio perfrueris.

Postremo proelium institutum recole; etenim quantum operis aggressa sis cernens, verborum omnem nimietatem abscindere ex animo statues.

Caput XXV.

Miles Christi, ut inimicos suos rite oppugnet, perturbationem et cordis inquietem omni ope effugere debet.

Quemadmodum, ubi cordis tranquillitatem amiserimus, totis viribus anniti, ut illam reparemus, oportet, ita sciendum est nullum umquam contingere accidens posse, quod eam iure a nobis auferre vel minimum debeat obturbare.

Nostrorum delictorum nos equidem poeniteat necesse est, verum id pacifico dolore obeundum, ut ante non uno loco monstravi. Sic maximo cuique peccatori pio caritatis affectu, absque ulla tamen inquiete mentis indoleamus et interne saltem ipsius criminibus illacrimemur.

Quod ad alias pergraves acerbasque calamitates, ut sunt morbi, vulnera, mortes easque etiam eorum, qui strictiore nobis carnis cognatione coniuncti sunt, pestes, bella, incendia atque alia id genus, quae etsi a mundi asseclis ut plurimum reiciantur, quippe naturae molesta, possumus tamen, Dei gratia adiuvante, ea non solum velle, sed insuper ut non iniucunda amplexari, utpote quae sunt iusta flagitiosorum supplicia probisque crebra virtutis occasio; quandoquidem duplici hac consideratione Deus quoque ea habet accepta, cuius voluntati si obtemperemus, per omnes vitae huius amaritudines atque adversa aequo et liquido animo pertransibimus. Et pro certo habeas, quamcumque perturbationem nostram Dei oculis exosam esse, si quidem, cuiusmodi ea sit, numquam non imperfectione aliqua comitatur semperque ex amoris proprii infecta radice fruticat.

Idcirco vigilem aliquem speculatorem iugiter habeas, qui statim ac aliquid detegit, quale idcumque est, quod teipsam conturbare et inquiete fatigare valeat, dato signo te commoneat, ut ad defensionem arma capias, considerans, cuncta ea mala multaque alia huiuscemodi, quamvis talia extrinsecus appareant, vera tamen mala nec esse nec vera bona nobis adimere posse Deumque haec omnia mandare sive permittere ad rectos fines, quos modo innuimus, aut ob alios nobis quidem absconditos, verum certo certius iustissimos atque sanctissimos.

Ita quovis casu, licet sinistro, accidente, si mentem nostram tranquillam ac in pace retinebimus, multum utique proficere poterimus; aliter quaecumque exercitatio nostra parum aut nihil fructus afferet.

Praeterea dum inquietum est cor nostrum, variis inimicorum ictibus patet et insuper quamdiu in hoc statu erimus, directum iter tutamque virtutis viam dispicere nequimus.

Adversarius noster pacem istam summopere abhorret, utpote locum, in quo Spiritus Dei habitat, ut ibi magnalia operetur, ideo saepe saepius amica vexilla praetendens, eam a nobis auferre conatur, varia nimirum in nobis desideria exsuscitans, specimen virtutis prae se ferentia, quorum fraus, ut alia mittam indicia, ex eo dignosci perfacile potest, quod cordis quietem eripiunt.

Ut igitur tanto damno occurras, cum speculator novi alicuius desiderii signum praebet, ne cordis ianuam illi patefacias, nisi prius proprietatem affectumque omnem voluntatis exuens, illud Deo sistas, tum caecitatem atque insipientiam tuam fatens, eundem instanter exores, ut lumine suo

tibi monstret, utrum ab ipso an ab hoste desiderium immissum fuerit; tum etiam patrem spiritualem, si locus erit, consulas.

Et quamvis desiderium a Deo proficiscatur, antequam illud opere compleas, nimium fervorem tuum ac impetum fac retardes, quoniam opus, cui talis mortificatio praecurrit, longe equidem acceptabilius Deo erit, quam si naturae aviditate expediatur; immo vero aliquando mortificatio plus illi arridebit quam opus ipsum.

Sic desideria improba disterminans, nec bona perficiens, nisi prius naturae cupiditatem et aestum represseris, cordis tui arcem in pace ac in tuto locatam possidebis.

Et quo idem cor pacificum usquequaque serves, necesse insuper est ipsum defendas ac tuearis a quibusdam increpationibus internisque vellicationibus, a daemone quandoque suscitatis, licet (quia alicuius te noxae redarguunt) a Deo esse videantur. Unde in temet immigraverint, ex eorum fructibus cognosces.

Hi si te humiliant adque bonum peragendum diligentem efficiunt nec tollunt fiduciam in Deo, tamquam a Domino descendentes ipsos admittas eidemque cumulatissime gratiam referas. Verum si te perturbant redduntque pusillanimem, diffisam Deo, segnem et in bono remissam, eos ab adversario progigni manifesto teneas, ideoque nec aures illi praestans in exercitatione tua perstabis.

Et quoniam praeter supradicta cordis nostri inquies e rerum contrariarum eventu plerumque coalescit, ut hos caveas ictus, duo obeunda tibi sunt.

Primo consideres ac disquiras, quocum accidentia illa pugnantia sint, cum spiritu perfectionis an cum vero amore proprio propriisque cupiditatibus.

Quandoquidem propriis cupiditatibus ac tui amori, qui capitalis est ac princeps inimicus tuus, si renitantur, haec nequaquam nuncupare contraria, sed uti celsissimi Dei benefacta subsidiaque debes aestimare; ea idcirco prompto hilarique animo et cum gratiarum actione suscipienda sunt.

Si vero perfectionis spiritui obviantia sint, non ideo cordis tui pax amittenda, ut sequens caput edocebit.

Secundo in Deum mentem intendas clausisque oculis et absque eo, quod aliud recogites, a miserente divinae providentiae dextera id totum excipias, utpote quid variis bonis refertum, quae tamen per id temporis ignoras.

Caput XXVI.

Quid nobis agendum, cum vulnerati cadimus.

Cum ex eo te sauciatam noveris, quod per fragilitatem sive etiam nonnumquam ex voluntate ac malitia in aliquam culpam delapsa fueris, neque ideo demittas animum neque perturberis, verum e vestigio ad Deum versa, haec effare:

Hem! Domine mi. Personam meam oppido gessi nec a me aliud quicquam exspectari poterat praeter casus.

Hic vero parumper immorata in oculis tuis ipsa tibi vilescas, Dei offensae te poeniteat et absque eo, quod confundaris, vitiosis passionibus tuis ac illi praecipue succenseas, quae causa lapsus exstitit.

Deinde prosequere:

Neque hic, Domine, substitissem, nisi bonitate tua tenuisses me.

Tum gratias illi habeas eumque ut cum maxime diligas, tam ingentem clementiam admirans, quando, a te licet offensus, dexteram tibi praetendit, ne denuo prolabare.

Demum in infinita ipsius misericordia maiorem in modum confisa, inquies:

Praesta te, Domine, Deum illum praesta, qui es; ignosce mihi nec permittas me umquam a te seiunctam remotamque vivere neque ullam aliam in posterum tui offensam perpetrare.

His peractis cogitare noli, an Deus tibi pepercerit necne; hoc enim nihil aliud est quam superbia, mentis inquies, inutilis absumptio temporis ac daemonis fallacia, plurium bonorum obtecta colore; propterea clementissimis Dei manibus te libere dedens, institutam exercitationem continues, non secus ac lapsa minime fuisses.

Et quamquam saepius in die recideres ac vulnerareris, nihilo minore fiducia ad id, quod dixi, praestandum assurge secundo, tertio et ultimo, quam primo et teipsam magis habens despicatui ac peccatum acriore odio persequens, cautius vivere studeas.

Exercitatio ista daemoni invisa valde est, et quia gratissimam Deo esse perspicit, et quia inde pudore afficitur, cum ab illo ipso, quem prius devicerat, devictum se noscat. Variis idcirco subdolisque modis annititur, ut haec a nobis praetereatur; quod illi saepius ad votum cadit ob summam incuriam nostram ac modicam vigilantiam, qua ipsi nos observamus.

Quapropter si difficultatem in hoc experieris, eo maiorem tibi vim debes inferre, exercitationem istam resumens, non semel etiam, in unico lapsu.

Quod si ubi cecideris, inquietam, confusam Deoque diffisam te senseris, quod primum exsequi debes, pacem et cordis tranquillitatem simulque fiduciam in Deo recipias hisceque armis communita ad Dominum tuum convertere, quoniam inquietudo, qua propter peccatum corripimur, haud equidem offensam Dei respicit, sed proprium detrimentum.

Modus pacem istam recuperandi in eo consistit, quod nimirum peccati tui tunc obliviscaris Deique ineffabilem bonitatem recolas consideresque, uti maximum quodque peccatum condonare ultra modum paratus est exoptatque, peccatorem variis modis multisque viis compellans, ut ad ipsum recurrat ipsique uniatur in hac vita gratia sanctificandus inque altera aeternum gloria beandus.

Postquam considerationibus istis aut aliis huiusmodi mentis tuae pacem redintegraveris, ad culpam cogitationem adicias, quod ante dixeram, peragendo.

Deinde sacramentalis confessionis tempore (ad quam ut saepius accedas, exhortor) lapsus tuos quoscumque recenseas, cumque recenti dolore Dei offensae te poenituerit firmumque propositum amplius numquam Deum offendendi elicueris, singulos patri spirituali sincere fac aperias.

Caput XXVII.

Quem ordinem servet daemon, ut oppugnet fallatque tum eos, qui virtuti se addicere volunt, tum eos, qui iam peccato mancipati sunt.

Scito, filia mea, daemonem nulli rei magis studere quam nobis perdendis neque cum omnibus eadem ratione dimicare.

Ut autem tibi aliqua bellorum, ordinum technarumque suarum describere exordiar, multiplices hominum status exhibebo.

Quidam peccati mancipia sunt nec manumitti ullo modo cogitant.

Alii vellent quidem exsolvi, numquam vero operi manus admovent.

Virtutis via progredi alii credunt, ab ea tamen recedunt.

Alii tandem post virtutum acquisitionem ruina graviore labuntur.

De his omnibus distincte dicemus.

Caput XXVIII.

Quo pugnae ac fallaciae genere utatur daemon adversus eos, quos peccati servitute compeditos habet.

Daemon ubi aliquem sub peccati iugo tenet, nihilo potius studet, quam ipsi magis magisque obcaecando avocandoque ab omni cogitatione, quae ad infelicissimae vitae suae cogitationem ipsum posset adducere.

Nec eum tantummodo a cogitatis et inspirationibus ad resipiscentiam accersentibus, diducit cogitationibus aliis contrariis, verum etiam apparatas promptasque occasiones offert, ut in idem peccatum aut etiam in alia foediora recidere faciat.

Ex quo caecitate ipsius spissioribus crassioribusque obscuritatibus offusa, propensius ipse ruit in praeceps, plus plusque peccati habitum obfirmat, ita miseranda eius vita ex alia in aliam funestiorem caecitatem et ex alio in aliud peccatum gra-

vius, quasi in orbem, usque ad mortem volvitur, nisi Deus per gratiam suam illius saluti prospiciat.

Remedium huic malo adhibendum, quantum ad nos attinet, hoc est, quod nempe in miserrimo isto statu desidens promptus sit ad cogitationes inspirationesque sine mora excipiendas eum a tenebris evocantes ad lumen, totoque cordis affectu creatorem suum compellet: Hem! Domine mi, auxiliare mihi velociter neque hisce peccati tenebris me amplius involvi permittas.

Quod saepius reposcere atque hoc vel simili modo identidem clamare pergat.

Actutum, actutum etiam, si erit spatium, patrem spiritualem conveniat, opem consiliumque flagitans, ut detur ab hoste liberari.

Quod si eum nequeat extemplo consulere, quam citissime potest, ad crucifixum vertatur, sacris eius pedibus provolutus vultuque in terram demisso, tum etiam in Virginem Mariam oculos coniciat, misericordiam subsidiumque conclamans.

Neque te fugiat, in hac celeritate sitam plane esse victoriae summam, ut sequente capite disces.

Caput XXIX.

Quo artificio ac fraude implicatos eos teneat daemon, qui perditam vitam suam agnoscentes vellent sese in libertatem vindicare, et quare proposita nostra saepius effectu careant.

Qui pravam vitam, quam vivunt, iam compertam habent eamque vellent immutare et rectam instituere, a daemone his armis vel sequentium cogitationum suggestione plerumque falluntur atque superantur.

Postea, postea, cras, cras, uti corvus crocit.

Equidem prius volo negotium hoc expedire meque ab his tricis exsolvere et spirituali vitae postea pleniore me quiete dicare.

Laqueus iste plurimos irretivit singulisque diebus capit; quod totum a negligentia atque incogitantia nostra progignitur, quando in re, in qua de animae salute Deique honore agitur, numquam sat cito valentissimum illud telum arripitur: *Modo, modo, cur postea? — Hodie, hodie, quare cras?* quod sibimetipsi quisque dicat.

Et quando etiam Postea illud et illud Cras daretur mihi, haeccine foret salutis via ratioque vincendi, velle prius vulnera excipere, ac novis erratis intercipi?

Ita ut rem planam perspicis, filia, modum tum eluctandi technam istam et simul, quam praecedente capite notavi, tum hostem superandi, promptam esse oboedientiam cogitationibus ac inspirationibus divinis praestandam. Promptitudinem, inquam, exercitam, non sola proposita; haec enim saepe saepius frustrantur, multique in iis decepti sunt, non una utique ex causa.

Prior est supra etiam delibata, nempe quod proposita nostra haud equidem pro fundamento habent diffidentiam nostri atque in Deo fiduciam. Quae animi conditio permagnam superbiam nostram nobis innotescere non sinit, a qua capita ista et caecitas oriuntur.

Lux ad id cognoscendum medicinaque huic morbo paranda a Dei bonitate proficiscitur, qui nos cadere permittit, ut nos avocet a fiducia, qua nimium nobis credimus, ad fiduciam in ipso locandam atque e superbia ad nostri cognitionem.

Ea re, proposita tua si efficacia fore desideras, necesse est firma sint; tunc vero firma erunt, cum fiducia tui nullo pacto innitantur totaque sint fiduciae in Deo humiliter superstructa.

Altera est, quod nimirum, cum proponere aggredimur, virtutis pulchritudinem valoremque respicimus; id quod voluntatem nostram, quantumlibet segnem infirmamque, ad se attrahit; at quando difficultas ad ipsius acquisitionem pernecessaria obvia sistitur, cum frigida adhuc ac recens sit voluntas, deficit ista ac retrocedit.

Idcirco amantior multo sis difficultatum, quas virtutum adeptio praemittit quam ipsarum virtutum; atque eiusmodi difficultatum pabulo voluntatem tuam perpetuo enutrias, modo parum modo multum insumens, si revera virtutes possidere concupiscis.

Nec te praetereat fore, ut eo maturius et altius teipsam tuosque adversarios superes, quo animosius difficultates amplexaberis ipsaeque cariores tibi erunt.

Tertia est, quia proposita nostra nec virtutem nec divinam voluntatem attendunt, sed tantummodo commodum nostrum. Quod contingere solet in propositis, quae ut plurimum concipimus tempore spiritualium deliciarum ac tribulationum, quae valde nos premunt; nec in his ullum aliud suffugium adinvenimus, nisi nobis proponamus velle nos Deo virtutumque exercitationibus toto corde addicere.

Ne in hoc malum incidas, quo tempore spirituales affluunt deliciae, sis perquam cauta humilisque in propositis tuis et maxime in promissionibus ac votis; cum vero tribularis, proposita tua in hoc detineantur, ut patienter ad Deique voluntatem

crucem perferas eamque exaltes, terrenum quodque et interdum etiam refrigerium caeleste recusans. Unica sit petitio tua unicumque desiderium tuum, quod videlicet a Deo adiuveris, ut adversa omnia perpeti valeas absque eo, quod patientiae virtutem commacules Dominoque tuo displiceas.

Caput XXX.

Error illorum, qui ad perfectionem progredi credunt.

Adversarius noster, prima et altera invasione licet fractus fuerit fallaciisque suis nihil profecerit, veterator cum sit, tertiam aggressionem restaurat, in eo sitam, ut obliti inimicorum actualiter nobis bellum damnumque comparantium, in desideriis propositisque altiorum graduum perfectionis occupemur.

Ex quo fit, ut continenter sauciemur neque vulnera curemus et eiusmodi proposita, perinde ac si veri essent effectus, magni pendentes inaniter superbiamus.

Unde cum vel minimam rem sive amarum verbum perpeti nolimus, tempus conterimus in oblongis meditationibus ac desideriis perferendi ingentia supplicia, quandoque etiam purgatorii poenas pro Dei amore.

Et quoniam pars inferior huic, utpote rei remotae, minime repugnat, ideo, miseros nos ipsi nobis suademus eundem illorum gradum tenere, qui reipsa pergravia aequo animo sufferunt.

Ut igitur fraudem istam eludas, delibera et in proelium fac poscas inimicos revera et comminus bello te petentes; hoc enim pacto deprehendes,

utrum proposita tua vera an falsa sint, fortia an infirma, adque virtutem et perfectionem strata ac regia via perges.

Sed auctor non sum, ut in hostes, qui te divexare nequaquam soliti sunt, pugnam instruas, nisi cum verisimiliter fore praenoscis, ut intra parvum temporis spatium te incessant; quo enim praeparata ac fortis tunc certamen excipias, proposita elicuisse par est.

Ne umquam tamen deliberationes tuas pro effectibus habeas, quamvis per aliquod tempus in virtutibus exercita fueris, proprios persequens modos ad eas comparandas; verum in iis humilis sis, ipsa de te metuas animique tui imbecillitate; tum fidens Deo repetitis precibus insta eumque deprecare, ut tibi vires adaugeat, a periculis malorum omnium custodiat, et praecipue a vel minima praesumptione ac tui fiducia.

Tum enim, exiguae licet quaedam inperfectiones edomari non possint, quae interdum ut nobis insideant permittit Dominus ad humilem nostri cognitionem tutelamque virtutis alicuius, celsiorem tamen gradum perfectionis nobis integrum est proponere.

Caput XXXI.

Fallacia ac pugna daemonis, ut virtutis semitam deseramus.

Quartum artificiorum genus, quo nequissimus spiritus in nos invehitur, cum maxime ad virtutem recta nos eniti comperit, plurima sunt pia desideria, quae in nobis excitat, ut ab exercitatione virtutum ad vitium prolabamur.

Si quis morbo aliquo correptus illum in dies animi aequabilitate patitur, versutissimus hostis animadvertens, ipsum posse eo modo patientiae habitum adipisci, multa bona opera, quae in alio statu exsequi valeret, ob mentis oculos ponit eique persuadere contendit fore, ut, si sanitate frueretur, praestabilius serviret Deo, tum seipsum aliosque etiam iuvaret.

Desideria ista ubi in ipso suscitavit, sensim exaggerat, adeo ut inquies inde aeger evadat, cum ea nequeat, ut vellet, efficere.

Et quando huiuscemodi desideria acrius ac fortius invalescunt, tanto vividius inquietudo excrescit. Hinc postea adversarius paulatim summaque dexteritate usque eo ipsum adducit, ut gravate morbum perferat, eum minime uti morbum respiciens, verum uti impedimentum operum, quae ad maius bonum adimplere anxie concupierat.

Quando autem huc usque illum deflexit, eadem sollertia ab eius mente finem servitii Dei ac bonorum operum abradit ipsique solum desiderium ex morbo evadendi relinquit.

Quod cum voto minime competat, tam valde perturbatur, ut omnino impotens sui fiat. Eoque pacto vel minime attendens a virtute, quam excolebat, in oppositum vitium decidit.

Modus cavendi ab hoc dolo eique obluctandi hic est, quod, cum molesto aliquo vitae statu detineris, praeclare advertas, ne desideria, cuiuscumque boni illa sint, excipias, quae, cum ilico perficere nequeas, verosimiliter inquietem facesserent tibi.

In hoc autem cum omni humilitate, patientia ac resignatione tibi persuadeas necesse est, desideria tua effectum, quem meditabaris, minime con-

secutura, quandoquidem segnior atque instabilior es, quam quae tibi videris.

Sive fac credas Deum a te nequaquam exigere bonum illud ob occulta iudicia sua vel tuorum demeritorum culpa, immo expetere, ut te potius humilies et clementi aeque ac potenti dexterae voluntatis suae patienter ipsa te submittas.

Pariter si quando a patre spirituali sive alia causa pia obire exercitia et praecipue ad sanctam communionem frequenter ac ut lubet accedere prohiberis; ne propter rerum harum desiderium perturbatione et inquiete commoveri te sinas, sed voluntatem propriam usquequaque exuens, ad Domini beneplacitum te totam componas, ipsa tecum dicens:

Si divinae providentiae oculus plurimas ingratitudinis aliorumque defectuum notas in me neutiquam perspiceret, divinissimo nunc sacramento minime interdicerer; Deum meum idcirco per haec indignitatem meam mihi detegere probe noscens, collaudabo eum et benedicam per saecula. Confido equidem, Domine mi, in summa bonitate tua ac firmiter teneo te nihil aliud intendere, quam ut tibi morem gerens tuoque beneplacito in omnibus obsecundans cor meum tibi aperiam, voluntati tuae, cuiusmodi ea sit, plene devotum, uti illud spiritualiter ingrediens consoleris atque corrobores adversus hostes, ipsum a te abripere contendentes. Ita fiat totum id, quod in oculis tuis bonum fuerit visum, creator et redemptor meus; voluntas tua sit modo semperque cibus meus ac sustentatio mea. Hanc unicam, amor meus, gratiam efflagito, quod anima mea repurgata defugiensque rem omnem tibi iniucundam, sanctarum virtutum ornatu, ad tuum adventum opperiendum

et quicquid de me disponere tibi libuerit suscipiendum parata semper sit.

Praeceptionibus istis si constanter nitaris, pro certo habeas fore, ut in quocumque boni desiderio, quod implere nequas, sive illud a natura profectum sit sive a daemone, ut te inquietet et a virtute deturbet, sive nonnumquam etiam a Deo, ut resignationis tuae cum voluntate sua periculum faciat, fore, inquam, ut occasionem iugiter obtineas Domino tuo obsequendi ea sane ratione, quae acceptior ipsi erit. In hoc autem sita est vera devotio et quem Deus a nobis requirit famulatus.

Ne in afflictionibus, undecumque eae oriantur, impatientia efferaris, modum subsigno: Si quando media licita usurpare volueris, quibus Dei famuli uti solent, haec minime adhibeas nimia cordis adhaesione concitatioreque desiderio ab illis emergendi, sed quia Dei voluntas est ea adhiberi a nobis; nescimus enim, utrum divinae maiestati placitum sit, nos ab iis per haec media expedire.

Quod si te aliter gesseris, pluribus malis corripieris; nam facile in impatientiam delaberis, re minime ex voto atque ex animi sententia obtingente; vel patientia tua imperfectionibus multis comitata nec Deo undequaque grata erit et parum utique meriti advehet.

Hic tandem amoris proprii abditissimum laqueum palam faciam, cui sollemne est, defectus nostros aliquando contegere atque excusare.

Nempe cum aegrotus, ex. gr. morbum inique patitur, impatientiam suam velo cuiuspiam desiderii boni apparentis obtendit, dicens inquietem suam haud equidem impatientiam esse ex cruciatu, quem in morbo illo sustineat; sed iustissimam

displicentiam, sive quia ipse illi occasionem conflavit, sive quia alii, quod ipsi deserviant, aut ob alias causas fastidium damnumque exhauriant.

Eadem ratione ambitiosus, qui dignitate non obtenta perturbatur, superbiam vanitatemque propriam minime causatur, verum quaslibet alias res, quas satis constat in aliis casibus ipsum haudquaquam attingentibus eum pro nihilo ducere: sicuti nec aeger curat, si iidem, quos sui causa perpeti multum dolere aiebat, idem et gravamen et damnum perferant in alterius aegrotatione.

Argumentum sane evidens horum omnium querimoniam radicem non ex eo trahere, quod aliorum incommodo ceterarumve rerum consideratione moveantur, sed quod contraria propriis cupiditatibus aversentur.

Ne isto igitur aliove id genus errore decipiaris, semper aequa fronte amplectere quamcumque molestiam afflictionemque, undelibet (ut dixi) eae proficiscantur.

Caput XXXII.

Ultima daemonis aggressio ac fallacia ante proposita, qua efficere conitur, ut adeptae virtutes sint nobis ruinae occasio.

Vafer ac malignus serpens artificiis suis nos irretire numquam non contendit, id etiam in virtutibus iam acquisitis pertentans, quo offendiculum nobis sint ad decidendum, dum sive in illis sive in nobis ipsi nobis perplacentes, in altum tollimur, ut deinde in superbiae ac inanis gloriae vitium gravi lapsu ruamus.

Quo igitur periculum istud evites, perpetuo decertes, in planam ac tutissimam arenam descendens

verae ac profundae cognitionis te nihil esse, nihil scire, nihil posse, nihil aliud habere quam miserias et defectus nec aliud quicquam mereri praeter damnationem aeternam.

Ubi intra vallum huiusce veritatis constiteris teque probe firmaveris, dimoveri numquam loco patiare, quacumque cogitatione sive re alia perurgente, pro certo habens, eas omnes tot revera inimicos esse, qui (in eorum manus si incideres) morte aut plagis te conficerent.

Quo rite exerceare ad currendum in hoc stadio sincerae cognitionis tui nihil, utere hac methodo:

Quotiescumque ad considerationem tui operumque tuorum adieceris animum, ipsa te ponderes semper cum eo tantum, quod tuum, non autem quod Dei est eiusque gratiae; et talem postea te aestimes, qualem cum eo, quod tuum est, esse repereris.

Si tempus exquiras, antequam esses, elapsum, per omnem illam aeternitatis abyssum conspicies te purum fuisse nihilum teque nihil effecisse nihilque potuisse moliri, ut Esse haberes.

Hoc autem tempore, quo sola Dei bonitate Esse perfrueris, si quod suum est ipsi relinquis (iuge sc. regimen, quo singulis te momentis conservat), quid aliud pariter quam nihilum es? Quoniam procul dubio in illud primum nihilum, ex quo eduxit te omnipotens ipsius dextera, puncto temporis diffluere, si per minimum momentum te desereret.

Evidentissime igitur in hoc Esse naturae, tuum solummodo expendendo, non est, cur ipsa te aestimes aut ab aliis velis aestimari.

Quod deinde attinet ad bonum Esse gratiae et ad bonum exsequendum, natura tua divino im-

protecta auxilio quid boni peragere quidque mereri ex seipsa unquam posset!

Percurrens aliunde ingentem peccatorum multitudinem, quae perpetrasti quaeque insuper perpetrasses, si Deus miserente sua dextera te minime cohibuisset, futurum fuisse reperies, ut iniquitates tuae dierum non modo annorumque, verum etiam actuum pravorumque habituum multiplicatione (si quidem vitium invocat secumque trahit vitium alterum) ad infinitum paene numerum pervenissent tuque in alterum infernum luciferum evasisses.

Peiorem idcirco de die in diem te existimes necesse est, ne divinae bonitati debitam gloriam eripias; sed ut tantum, quod tuum est, tibi semper ascribas.

Et plane admodum adverte iudiciumque de teipsa proferendum aequitate fac comiteris; aliter enim id tibi perquam male vertet.

Quamvis enim in tuae pravitatis cognitione longe alium antecellas, qui ob caecitatem suam aliquid se autumet esse; multum vero deperdis inque voluntatis operibus illo peior efficeris, si ab hominibus talem te peroptas aestimari atque excipi, qualem scis nequaquam te esse.

Si igitur velis, ut malitiae ac vilitatis tuae cognitio inimicos arceat Deoque te reddat acceptam, non modo teipsam despicias necesse est, quippe quae omni bono sis indigna omniaque mala promerearis, verum ab aliis etiam ames contemni, honores abhorrens, de contumeliis exsultans animumque data occasione inclinans ad exsequendum, quidquid alii efficere dedignantur.

Quorum sententiam, ne sanctum hoc exercitium omittas, pro nihilo ducas oportet, modo id ex fine teipsam humiliandi exercendique peragas, non

autem per quandam animi praesumptionem vel non bene cognitam superbiam, cuius afflatu aliquando, boni alicuius praetextu, parvi aut nihili omnino facimus aliorum opinionem.

Si interdum vero continget, ut ob aliquod bonum a Deo tibi concessum tamquam probam diligaris commenderisque ab aliis, ipsa te plane recollige et cave digitum latum ab hoc discedas veritatis iustitiaeque fundamento; at conversa ad Deum, ex animo ista effare: Numquam, Domine, numquam gloriam tuam eripiam tibi, mihive asseram, quod e gratia tua fluxit. *Tibi laus, honor et gloria, mihi confusio.* Deinde ad laudatorem cogitatu deflexo interius haec inquies: «Quid me bonam dicit, cum nemo bonus nisi solus Deus ac eius opera?» Namque ita te gerens Dominoque quod suum est attribuens, inimicos propulsabis teque dispones ad ampliora munera gratiasque a Deo recipiendas.

Cum vero bonorum operum recordatio in aliquod inanis gloriae periculum te adducet, ea confestim respicias non ut tua sed Dei opera; tum perinde ac si cum iis colloquereris, in animo tuo poteris dicere: Nescio, qualiter in mente mea apparuistis Esseque coepistis habere; neque enim ego originem donavi nobis, sed bonus Deus eiusque gratia creavit vos, aluit ac conservavit. Eum igitur solum ut verum primumque parentem recognoscere, illi gratias agere ipsique omnem volo laudem referre.

Consideres postmodum, omnia opera, quae umquam fecisti, non tantum lumini ac gratiae, ut illa cognosceres atque exsequerere, tibi concessae parum respondisse, sed et aliunde multis inquinata imperfectionibus ac nimio plus ab ea pura

intentione, fervore ac diligentia, qua ipsa comitari et exsecutioni mandare debebas, fuisse remota.

Eapropter si recte calculum ponis, pudor inde potius hauriendus, quam inaniter eorum causa tibi perplacendum est, si quidem certo certius est gratias, quas a Deo omni puritate ac perfectione ditatas accipimus, ab imperfectionibus nostris in exsecutione commaculari.

Opera tua insuper cum operibus sanctorum aliorumque Dei famulorum conferas, et eorum comparatione clarissime dispicies maiora ac meliora opera tua adulterinos veluti nummos et exigui esse valoris.

Atqui si illa compares cum iis, quae Christus in vitae suae mysteriis ac diutina cruce pro te operatus est, eaque consideres absque divinae personae dignitate, in seipsis tantummodo affectuque et amoris puritate, qua peracta sunt, deprehendes quaecumque opera tua ut nihilum profecto esse.

Tandem si ad divinitatem tuique Dei maiestatem ac famulatum, quem ipsa meretur, attollas mentem, liquido cognosces in singulis operibus tuis nullum esse locum vanitati, sed permagno timori. Idcirco nulla non ratione in omni opere tuo, quantumlibet pio, toto ex corde dicas Domino necesse est: *Deus, propitius esto mihi peccatrici.*

Caveas etiam, ne dona a Deo tibi collata facile detegas; hoc enim fere semper Domino tuo displicet, quod nobis in subiecto insinuat exemplo.

Obiectus est ipse die quadam pueri speciem ac purae creaturae referens formam, piae feminae, a qua ingenua simplicitate exquisitus, ut salutationem angelicam recitaret, eam prompte exorditus est: *Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum:*

Benedicta tu in mulieribus! In quae verba conticuit; noluit enim subsequentibus semet dilaudare. Dumque ab illa, ut reliquam persequeretur orationis partem, rogaretur, evanescens famulam suam consolatione exundantem reliquit et caelesti hac doctrina imbuit exemplo suo.

Disce tu quoque, o filia, teipsam humiliare teque cum omnibus operibus tuis nihilum esse recognosce.

Hoc aliarum omnium virtutum fundamentum est. Deus, antequam essemus, ex nihilo creavit nos istoque tempore, quo per illum sumus, hanc super cognitionem, nihil ex nobis nos esse, totum construere spirituale aedificium desiderat. Et quo in cognitione illa profundius nos demittemus, eo sublimior assurget fabrica; et qua mensura terram miseriarum nostrarum subinde foderimus, divinus architectus tantundem firmissimorum lapidum locabit, ut aedificii moles attollatur. Ne tibi umquam posse suadeas, filia mea, satis summisse humiliterque de te sentire; immo hanc tui habeas aestimationem, quod nimirum, si in creaturis dari aliquid infiniti posset, hoc tua esset vilitas.

In cognitione ista cum rite versamur, omne bonum possidemus; absque illa paulo plus quam nihilum sumus, etiamsi sanctorum omnium opera impleremus ac in Deo iugiter essemus occupati.

O beatam cognitionem, quae felices in terra, in caelo nos reddit gloriosos! O lumen, quod erumpens e tenebris lucidas clarasque facit animas! O perspectam minime margaritam, quae inter immunditias nostras emicat! O nihilum, quod, cognitum si sit, rerum omnium nos dominos efficit!

Numquam sane, de hoc loquendo, possem expleri. Deum laudare cupis, teipsam accusa ab aliis-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

que coargui peropta. Cum omnibus ac subter omnes te humilia, si vis ipsum in te exaltare teque in ipso. Si eum reperire desideras, ne te extollas, ipse enim aufugiet, deprimas et, quantum potes, ipsa te deprimas, illeque, ut te inveniat et complectatur, prodibit obviam. Eoque carius te excipiet maioreque caritate te sibi astringet, quo magis in oculis tuis ipsa tibi vilesces tibique perplacebit ab omnibus vilipendi et veluti abominandum quid reici.

Tantoque munere, quod Deus tuus pro te contumeliis affectus tibi confert, ut sibi te uniat, indignam fac te arbitreris; nec omittas ipsi identidem gratias pro dono isto rependere teque iis devinctam censere, qui occasionem conflarunt contumeliae obstrictioremque illis, qui te proculcaverunt, aut firmius credunt opprobrium te parum libenter et haud aequo animo ferre. Quod quamvis utique foret, id nullo prodere debes indicio.

Si considerationibus his non obstantibus, quae nimium equidem verae sunt, daemonis versutia nostraque inscitia et perversa proclivitas eo usque praevalerent in nobis, ut cogitationes propriae exaltationis haud desinerent nos inquiete lacessere inque cordibus nostris imprimi, tunc pariter tempus est eo amplius in oculis nostris nos humiliandi, quo clarius experientia comperimus in via spiritus perfectionis ac sincera nostri cognitione nos parum profecisse; quandoquidem ab huiusmodi molestiis, ex inani nostra superbia radicem trahentibus, extricare nequaquam nos possumus.

Hac ratione mel e veneno sanitatemque e vulneribus eliciemus.

Caput XXXIII.

Monita quaedam ad vitiosas passiones edomandas virtutesque novas assequendas.

Quamvis multa disseruerim de modo teipsam edomandi ac virtutibus exaugendi, restat adhuc, ut aliarum rerum te commonefaciam.

Primo adduci numquam patiare, cum ad virtutum acquisitionem incumbis, ut ea amplexere spiritualia exercitia, a quibus casu, ut dicitur, hebdomadae dies assignantur, unus uni adipiscendae virtuti, alius alii.

Verum pugnae atque exercitationis ordo sit, eas petere passiones, quae tibi semper damnum intentavere et adhuc saepe te invadunt tibique important detrimentum, tum contrariis virtutibus te exornare, idque maxima quaque perfectione moliri.

Quoniam virtutibus his acquisitis omnes alias facilius ac promptius et paucis quidem actibus consequeris, cum earum numquam non frequens occasio exhibeatur; virtutes enim quibusdam velut catenis invicem constrictae sunt, quique perfecte unam possidet, alias omnes ad cordis ianuam paratas habet.

Secundo virtutum assecutioni nullum umquam tempus, neque dies neque hebdomadas neque annos praefinias; sed ut recens nata ac rudis tiro perpetuo dimica atque ad illarum perfectionis culmen nihil intermisso cursu enitere.

Ne minimum quidem momentum comprimas gradum; namque in via virtutum perfectionisque subsidere haud quidem spiritum viresque recipere est, sed retrogradi aut maiore quam antea lassitudine deficere.

Subsistere intelligo sibimet persuadere, virtutem absolute comparasse ac interdum parvipendere tum occasiones ad novos actus virtutum nos provocantes tum etiam leviora delicta.

Eapropter sollicita, fervens ac dextera sis, ne minima quaeque virtutis occasio tuis e manibus excidat.

Quascumque igitur occasiones ad virtutem inducentes perama, easque multo magis, quae superatu difficiliores sunt; quoniam ex actibus ad difficultates superandas effectis citius efformantur habitus altioresque figunt radices; eos insuper dilige, qui tibi ipsas praebent. Illas tantummodo gradu pleno, optima quaque industria ac velocitate evites necesse est, quae ad carnis tentationem te possent illicere.

Tertio prudens sis modumque adhibeas in virtutibus, quae corpori damno esse possent, ut illud conficere flagris, ciliciis, ieiuniis, vigiliis, meditationibus aliisque huiuscemodi rebus; namque hae virtutes pedetemptim et gradatim acquirendae sunt, uti mox dicemus.

Quod ad alias virtutes omnino internas, puta Deum amare, mundum spernere, teipsam vilifacere, vitiosas passiones ac peccatum odisse, patientiam ac mansuetudinem colere, omnes amore prosequi et maxime laedentes te aliosque id genus homines, haud equidem ad eas obtinendas paulatim procedere neque ad earum perfectionem per gradus ascendere necesse est, verum omnem utique actum quam perfectissimum elicere contendas.

Quarto omnis cogitatio tua ac desiderium tuum tuumque cor nihil aliud cogitet, exoptet aut poscat, quam passionem devincere, cum qua decertas, virtutemque cum illa pugnantem nancisci. Hoc pro

te sit universus mundus, caelum et terra omnisque thesaurus tuus, idque totum ex fine placendi Deo.

Comedas sive ieiunes; labores sive quiescas; vigiles aut dormias; domi aut foris sis, pia exercitia aut operam manuariam suscipias: haec omnia dirigas ad superandam atterendamque eandem passionem ac virtutem contrariam tenendam.

Quinto terrenarum voluptatum commodorumque generatim inimica sis; hoc enim pacto haud valida manu incessent te vitia, quae omnia in voluptate fixas habent radices. Unde si odium nostri istas absciderit, ea et vires et vigorem omnem deperdunt.

At si una ex parte peculiare aliquod vitium voluptatemque bello lacessere volueris et altera ex parte terrenis aliis voluptatibus adhaerere, quamvis ad mortalem noxam te minime adigerent, durum erit bellum ac cruentum victoriaque valde incerta ac rara.

Idcirco divinas has sententias iugiter mens tua percurrat.

Qui amat animam suam, perdet eam; et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam [1].

Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis [2].

Sexto et ultimo loco scias, bonum fore et forsitan necesse, confessione generali conscientiam tuam prius eluas, optima quaque servata methodo, ut securior sis Domini tui gratia te perfrui, a quo tum gratiae tum victoriae omnes exspectandae sunt.

---

[1] Io 12, 25. [2] Rom 8, 12 13.

Caput XXXIV.

Virtutes paulatim ita a nobis acquirendae, ut per earum gradus exerceamur et prius uni, deinde aliis demus operam.

Etiamsi verus Iesu Christi miles ad apicem perfectionis aspirans, spiritualem profectum nullis umquam terminis debeat circumscribere, attamen discretione quadam refrenandi sunt aliqui spiritus fervores, qui initio praesertim nimio ardore susceptí deficiunt postea nosque in medio cursu destituunt. Ideo praeter quod dictum est de moderatione in exercitiis exterioribus servanda, sciendum adhuc est virtutes etiam internas paulatim et per gradus comparandas esse; hoc enim pacto, quod parum est, in multum evadet, et maxime duraturum. Quapropter ex. gr. in rebus adversis ut plurimum exercere nequaquam debemus ad exsultandum in ipsis easque expetendas, nisi prius per inferiores gradus virtutis patientiae transierimus.

Neque virtutibus omnibus aut multis simul te summo nixu addicas velim, verum prius uni, deinde aliis; namque ita virtutis habitus expeditius firmiusque plantatur in anima, si quidem per virtutis unius continuatam exercitationem memoria ad illam promptius in qualibet occasione recurrit; intellectus ad novos modos rationesque adinveniendas, ut eam adipiscatur, etiam atque etiam acuitur; voluntasque facilius ardentioreque affectu in eam propendet, id quod potentiae istae minime efficerent, si plurium virtutum studio distinerentur.

Tum actus ad unam solummodo virtutem assequendam eliciti, ob conformitatem inter eos intercedentem, uniformi hac exercitatione minus operosi

fiunt, quandoquidem alter alterum similem compellat adiuvatque, et similitudine ista penitius in nobis imprimuntur, cum nostri cordis sedem paratam dispositamque reperiant ad eos excipiendos, qui de novo producuntur, uti aliis similibus locum prius illud dedit.

Rationes istae maiorem tanto vim habent, quanto certius constat omnes eos, qui in virtute aliqua probe exercentur, in altera etiam sese exercendi modum discere et sic unius augmento omnes alias concrescere virtutes ob inseparabilem coniunctionem ipsas complectentem, quandoquidem radii sunt a divina eadem luce promicantes.

Caput XXXV.

Quibus mediis virtutes acquirantur et quomodo iis utendum, ut ad unam tantum incumbamus per aliquod temporis spatium.

Ad virtutes obtinendas opus est praeter supradicta tum animo praesenti ac magno tum voluntate haud quidem infirma et remissa, sed deliberata ac forti; tum indubitanter supponendum necesse esse per adversa atque aspera multa pertransire.

Ad haec peculiaris quaedam propensio atque amor virtutum concipiendus est; hunc autem nobis conciliare poterimus, si expendamus, quam Deo gratae eae sint, in seipsis nobiles, praecellentes nobisque tum utiles tum necessariae, quando perfectio omnis ab ipsis principium finemque derivat.

Quolibet mane efficaciter proponamus in illis nos exercere secundum ea, quae verosimiliter ea

die occurrent, qua non semel nos examinabimus, utrum propositis steterimus necne; enixius deinde ipsa renovabimus, idque totum praesertim circa virtutem, in cuius exercitatione tunc temporis immorabimur.

Eodem pacto exempla sanctorum, preces nostrae, meditationes vitae ac passionis Christi in quolibet spirituali exercitio tam necessariae omnes potissimum ad eandem illam virtutem intendantur, cui tum dabimus operam.

Idem praestemus in quibuslibet aliis occasionibus, quamvis inter se differant (ut peculiariter infra monstrabimus).

Studeamus virtutum actibus sive internis sive externis usque eo assuescere, ut ad eos eliciendos eadem promptitudine ac facilitate perveniamus, qua prius in actus naturalibus cupiditatibus assentientes prodibamus. Et quo contrariores istis erunt (ut alibi etiam dixi), eo velocius in animam nostram virtutis habitum importabunt.

Divina Scripturae Sacrae dicta voce aut mente saltem exprompta, ut par est, admirabile nobis subsidium ferunt in hac exercitatione. Plura idcirco habeantur in promptu, virtutem, quam excolemus, respicientia, ac per diem identidem repetantur, et maxime cum passio contraria insurgit, ita ex. gr. si patientiae adipiscendae vacabimus, quae sequuntur, aut alia id genus adhibebimus.

Filii, patienter sustinete iram, quae supervenit vobis [1].

Patientia pauperum non peribit in finem [2].

Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium [3].

[1] Bar 4, 25. [2] Ps 9, 19. [3] Prv 16, 32.

In patientia vestra possidebitis animas vestras [1].

Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen [2].

Ad eundem pariter effectum utemur brevibus, quas subdam, orationibus aut aliis eiusmodi.

Quandonam, mi Deus, patientiae clipeo munietur cor meum?

Quandonam, ut Dominum meum oblectem, tranquillo animo molestias quascumque sustinebo?

O aerumnas nimium quantum iucundas, quae Domino meo Iesu pro me cruciatibus confecto efficiunt me similem!

Numquamne, unica vita animae meae, ad tui gloriam, inter angores mille contenta, dies transigam?

Me felicem! si in medio tribulationum igne maiora patiendi aestuabo desiderio.

Oratiunculas istas usurpabimus aliasque etiam, quae profectui nostro in virtutibus conformes erunt, quasque devotionis spiritus edocebit.

Oratiunculae hae iaculatoriae nuncupantur eo, quod veluti iacula sint ac spicula, quae in caelum emittuntur magnamque habent vim excitandi nos ad virtutem adque Dei cor usque penetrandi, si modo duabus rebus velut alis efferantur. Prior est sincera cognitio voluptatis, quam ex nostra exercitatione virtutum Deus percipit. Altera verum est atque ardens desiderium eas nanciscendi ex hoc tantummodo fine, ut divinae maiestati placeamus.

[1] Lc 21, 19. [2] Hebr 12, 1.

Caput XXXVI.

In exercitatione virtutum contento studio progrediendum.

Inter omnia, quae maioris sunt momenti potiorisque necessitatis ad virtutum consecutionem, praeter supradicta hoc quoque numerandum, quod nempe, ut finem attingamus hic nobis propositum, necesse est iter continuare semperque progredi; nam secus, etiam dum sistimus, retrocedimus.

Quoniam cum ab actibus virtutum feriamur, necessario sequitur prae violenta propensione sensitivi appetitus aliarumque rerum extrinsece nos moventium permultas inordinatas passiones in nobis generari, quae virtutes destruunt aut saltem imminuunt, praeterquam quod plurium gratiarum donorumque expertes reddimur, quae a Domino consequi proficiendo potuissemus.

In hoc autem spirituale iter ab eo discrepat, quod pedes exsequuntur; nihil enim in isto iam confectae progressionis, ut in illo, sistendo deperditur.

Praeterea lassitudo iter pedibus conficientis contentione motus corporalis ingravescit; e contrario in via spiritus perfectionis, ut quisque longius provehitur, eo maiorem in dies vim ac robur acquirit.

Quoniam pars inferior, quae resistentia sua asperum atque laboriosum iter efficiebat, virtutis exercitatione plus plusque debilitatur, et superior portio, in qua residet virtus, amplius stabilitur confirmaturque.

Unde profectione in virtutis semita aliquid molestiae, quae in illa perficienda sentitur, decrescere incipit, et secreta quaedam iucunditas, quae ex

Dei operatione ipsi molestiae commiscetur, singulis horis invalescit. Hoc modo pergentes et potiore iugiter facilitate atque delectatione euntes de virtute in virtutem, ad montis verticem tandem pervenimus, ubi anima perfectionis potita agit postea sine fastidio, immo cum voluptate ac iubilo, quoniam cum iam male ordinatas passiones devicerit atque edomaverit, tum universae creaturae sibique superstet, in corde Altissimi beate vivit ibique suaviter operans requietem capit.

Caput XXXVII.

Cum in exercitatione virtutum numquam non pergendum, declinandae minime sunt occasiones, quae ad illas tenendas nobis obiciuntur.

Satis clare perspectum est in itinere ad perfectionem tendente oportere semper incedere nec umquam sistere.

Ad hoc implendum perquam oppido advertamus vigilemusque, ne quamcumque occasionem ad virtutes assequendas nobis obversantem e manibus sinamus elabi. Hac de causa ii equidem male opinantur, qui omni ope declinant adversa, quae conducibilia ad hoc maxime forent.

Forsitan (ne ab consueto exemplo decedamus) ad patientiae habitum comparandum inducis animum, bonum haud equidem est te ab iis personis, actionibus cogitationibusque retrahi, quae ad impatientiam te commovent.

Proinde ne a quorumdam consuetudinibus subducare, quod molestae sint tibi; verum cum omnibus negotium tibi facessentibus agens et versans, voluntatem tuam paratam ac promptam iugiter

habeas ad tolerandum quidquid fastidii ac molestiae inde posset emanare, siquidem alio pacto te gerens ad patientiam numquam ipsa te formabis.

Pariter si qua operatio fastidio tibi est aut ratione sui aut illius, qui tibi eam mandavit, aut quia ab alia re peragenda, quae iucundior tibi esset, avertit te, ne ideo illam aggredi ac perficere omittas; etiamsi inquies inde esses, eamque missam faciens requietem posses nancisci; etenim hoc pacto numquam disceres sustinere, nec quies tua vera foret; haud enim ex animo depurgato a passionibus virtutibusque exornato proficisceretur.

Idem dico de molestis cogitationibus, quae mentem tuam aliquando lacessent ac perturbabunt; namque eam ab his penitus avocare non debes, siquidem molestia, qua te afficiunt, ad hoc simul conducunt, ut adversorum tolerantiae assuescas.

Quisquis aliter dicit, ad molestiam potius, quam percipis, evitandam quam ad concupitam virtutem adipiscendam te instituit.

Verum quidem est tironi convenire potissimum et eminus velitari et comminus digladiari cum praedictis occasionibus magna utique advertentia ac dexteritate, iis modo occurrendo, modo ipsas declinando, prout maiorem aut minorem assequitur virtutem ac vim spiritus perfectionis.

At vero numquam omnino terga vertenda sunt neque ita cedendum, ut dimittatur quaelibet prorsus rei adversantis occasio, quoniam, etsi a periculo labendi tum nobis caveremus, maiore in posterum discrimine pateremus impatientiae ictibus, cum prius contrariae virtutis tractatione armati ac fortes effecti nequaquam fuerimus.

Monita tamen ista nullum obtinent locum in vitio carnis, de quo iam peculiarem tradidimus methodum.

Caput XXXVIII.

Peramandae quaecumque pugnandi occasiones pro virtutum acquisitione, eaeque carius, quae maiorem advehunt difficultatem.

Haud equidem, filia mea, satis habeo te non effugere occasiones, quae pro virtutum adeptione tibi offeruntur, sed velim eas veluti quid magni valoris atque aestimationis nonnumquam perquiras et semper cum alacritate amplexeris, simul ac in conspectum sese dant, et quas sensus tuus invisiores habebit, pretiosiores carioresque existimes.

Hoc tibi Dei ope bene vertet, dummodo considerationes, quas annectam, in animo imprimas.

Prior est, quod occasiones media sunt proportionata, immo necessaria ad virtutes obtinendas. Unde cum istas a Domino exposcis, illa etiam consequenter petis; alioquin oratio tua vana foret, ipsaque tibi contradiceres Deumque tentares, quandoquidem nec patientiam ut plurimum absque tribulationibus nec humilitatem absque contemptibus elargitur nobis.

Idem dici potest de omnibus aliis virtutibus, quas procul dubio assequimur contrariorum casuum medio, qui nimium quantum ad hunc effectum opitulantur nobis ideoque tanto amiciores acceptioresque nobis esse debent, quanto graviorem afferunt molestiam, quoniam actus in his casibus eliciti generosiores ac fortiores sunt faciliusque et citius ad virtutem nobis praepandunt viam.

Idcirco minimae quaeque occasiones, verbi gratia torvae frontis obtutus aut verbi asperioris, aestimandae sunt nec sine exercitatione remittendae; quandoquidem actus in istis effecti frequentio-

res sunt, quamquam minus intensi iis, qui in difficultatibus magni momenti a nobis producuntur.

Altera consideratio supra etiam delibata est, quod omnia nobis accidentia a Deo emanant ad nostram utilitatem, utque ex iis aliquem fructum percipiamus.

Et quamvis ex his quaedam, quae nostra aut aliorum errata sunt (uti etiam alibi diximus), a Deo esse nequaquam dici possint, qui peccatum minime vult; a Deo tamen sunt, quatenus ipse ea permittit et, cum possit illa impedire, nequaquam impedit. Attamen afflictiones molestiaeque omnes nobis obtingentes vel ex nostris imperfectionibus vel ex aliorum malignitate a Deo et Dei sunt; si quidem ad haec ipse concurrit, et quae fieri nollet, quod deformitatem quandam purissimis eius oculis ultra modum invisam continent, ea, inquam, nos perpeti vult ob illud virtutis bonum, quod inde valemus haurire, aut ob alias causas, iustas quidem, licet incompertas.

Quapropter cum plus quam certi simus Deum velle, nos moderate ferre molestiam quamcumque ex aliorum aut etiam nostris iniquis operationibus in nos ingruentem; dicere (ut plurimi dicunt ad quandam impatientiae suae excusationem) Deum nolle, immo abhorrere malefacta, nihil aliud est quam inani praetextu propriam cooperire culpam crucemque refugere, quam si tulerimus, inficiari non possumus facturos nos rem optatissimam Deo.

Immo amplius dico, ceteris paribus Dominus noster in nobis mavult poenarum illarum tolerantiam, quae ab hominum iniquitate procedunt (ac praecipue si antea ipsis servierimus ac de iis bene fuerimus meriti), quam perpessionem curarum e molestis aliis casibus exsurgentium, non tantum

quia in illis ut plurimum superba natura magis reprimitur quam in istis, sed etiam quia egregia animi alacritate eas sustinentes, cumulate Deo nostro satisfacimus ipsumque nimium quantum exaltamus; cum ipso enim cooperamur, ubi maxime ineffabilis eius bonitas atque omnipotentia refulget; quod nihil aliud est, quam e pestifero malitiae ac peccati veneno pretiosum et suavem virtutis bonique fructum decerpere.

Scito igitur, filia mea, Dominum, simul ac in nobis detegit ardens desiderium revera agendi atque, uti par est, navandi operam tam gloriosae virtutum acquisitioni, gravissimarum tentationum occasionumque durissimarum calicem nobis praeparare, ut eum suo tempore ebibamus; quapropter illius amorem nostrumque commodum agnoscentes, calicem hunc porrecta fronte clausisque oculis accipere totumque inverso fundo secure et prompte oportet exhaurire; quandoquidem medicamen est, dilutum manu, quae errare non potest, et ex pharmacis confectum tanto animae nostrae salubrioribus, quanto in se ipsis amariora sunt.

Caput XXXIX.

Diversis occasionibus uti nos posse ad eiusdem virtutis exercitationem.

Inspectum est supra, quomodo per aliquod tempus fructuosior sit unius virtutis tractatio quam plurimarum simul, utque ad illam dirigendae occasiones, quae interea emerserint, quamquam inter se dissideant. Disce modo, qua ratione hoc assequi perquam facile queas.

Continget fortasse eadem die, eadem quoque hora nos alicuius actionis, quae proba tamen sit, reprehendi aut ob aliam rem carpi; gratiam aliquam expetitam sive rem aliam vel minimam durius pernegari nobis; in mali cuiuspiam suspicionem absque causa nos incidere; corporalem dolorem nos incessere; molestam reculam mandari nobis; inconditam escam apponi aliave maioris momenti ac perpessu difficiliora nobis evenire, quibus miserabilis humana vita conferta est.

In tot accidentium aut aliorum eiusmodi varietate, quamquam in diversos virtutum actus exire possimus, attamen si monstratae regulae velimus stare, exercitationem nostram tuebimur actibus, qui omnes virtuti sint conformes, cui per id temporis studebimus, ex. gr. si quo tempore praedictae occasiones offerent se, patientiam tractabimus, actus producemus eas omnes perferendi lubenter atque cum exsultatione cordis.

Si exercitatio nostra humilitatis erit, in cunctis his adversis omni nos malo dignos agnoscemus.

Si oboedientiae, prompte nos submittemus potentissimae dexterae Dei ac secundum illius beneplacitum (si quidem ita ipse vult) creaturis rationalibus et etiam inanimatis, a quibus molestiae illae in nos proficiscerentur.

Si paupertatis, contenti erimus, qualibet huius saeculi consolatione cum magna tum parva exspoliatos vacuosque nos esse.

Si caritatis, amoris actus eliciemus tam erga proximum nostrum, ut boni illius instrumentum, quod consequi possumus, quam erga Dominum, uti primam amabilemque causam, a qua procedunt aut permittuntur incommoda illa ad nostram exercitationem profectumque spiritualem.

Ex hoc autem, quod de variis casibus dicitur, qui diebus singulis contingere possunt, percipitur etiam, quo pacto in unica tantum occasione infirmitatis alteriusve curae, quae in longius duceretur, pergere possimus illius virtutis actus efficere, in qua tum exercebimur.

Caput XL.

Quantum temporis insumendum in exercitatione cuiusque virtutis, et quaenam sint nostri profectus indicia.

Quanto tempore studium singularum virtutum continuandum sit, mea non est definire; namque hoc dimetiendum statu ac indigentia singulorum, progressione in via spiritus perfectionis directorisque arbitratu.

Nihilominus si ex animo ac modis, quos innui, contentioneque supra ostensa in hoc operam poneremus, dubitandum minime est, quin haud pluribus hebdomadis admodum multo proficeremus.

Argumentum sane est, longe ad virtutem processisse, quando in ariditatibus interque animae tenebras et angores ac in spiritualium deliciarum subtractione virtutum exercitationem nihilo remissius urgemus.

Huius quoque clarum satis indicium dabit repugnantia, qua in eliciendis actibus virtutis sensualitas nobis renitetur; quantum enim haec virium deperdet, tantum progressus in illa fecisse credendum erit. Unde in sensuali atque inferiore parte si nulla contradictio ac rebellio sentiatur, et maxime in subitis ac impraevisis passionibus, signum erit iam nos acquisivisse virtutem.

Et quo maiore promptitudine ac spiritus exsultantia actus nostri comitabuntur, eo amplius in hac exercitatione provectos esse iure censebimus.

Advertatur tamen, credendum numquam veluti quid certum virtutum possessores et cuiuspiam nostrae passionis omnino victores nos esse, etiamsi longinqui temporis usu ac periclitatione postque non pauca certamina ipsius motus minime sensissemus; hic enim quoque daemonis astutia atque artificium nostraque fallax natura locum reperire potest. Unde quod prae occulta superbia videbitur virtus, vitium erit; praeterquam quod si perfectionem inspiciamus, ad quam compellat nos Deus, quantumlibet in via virtutum contendissemus, nihilominus nobis persuasum esse deberet, in earum tantummodo priores fines nos introiisse.

Tu igitur, tamquam nupera bellatrix et velut infans novissime in lucem edita, ad proelium exercitationes tuas semper redintegres, perinde ac si tunc inciperes nec antea quicquam peregisses.

Filia mea, memineris enitendum potius tibi esse, ut in virtutibus profectum facias, quam ut disquiras, quantus sit ille quem feceris; quoniam Dominus Deus, verus ac solus cordium nostrorum scrutator, id aliis innotescere facit, aliis nequaquam, prout videt huic cognitioni humiliationem aut superbiam pone secuturam, et tamquam pater amantissimus aliis periculum adimit aliisque occasionem indulget incrementi virtutum.

Quapropter etiamsi anima profectum suum minime deprehendat, pergat nihilominus exercitia sua sequi; ipsum enim comperiet, cum Domino placuerit, ut ad maiorem sui utilitatem eundem perspiciat.

Caput XLI.

Haud permittendum, cupiditate nos efferri evadendi ex afflictionibus, quas patienter sustinemus, et quomodo cuncta nostra desideria regenda, ut virtuosa sint.

Cum calamitate aliqua, qualiscumque ea sit, premeris et eam aequanimiter suffers, oppido caveas, ne a daemone aut a proprio amore te persuaderi umquam sinas, ut liberationem peroptes; namque inde duo potissima damna emanarent.

Primum est, quod, quamvis desiderium istud patientiae virtutem tum minime eriperet tibi, saltem ad impatientiam te paulatim disponeret.

Alterum est, quod patientia tua imperfecta foret, eamque pro illius solum temporis spatio, quo patereris, Deus remuneraretur; e contrario ni exsolutionem appetisses, sed divinae bonitati te resignasses in totum, quamvis patientia tua re ipsa durasset ad horam solum vel etiam ad brevius tempus, eam uti longissimi temporis famulatum Dominus excepisset.

Idcirco in hoc et quolibet alio casu universalis haec tibi sit regula, quod nempe desideria tua ita ab omni alio obiecto disiuncta teneas, ut pure et simpliciter ad verum et unicum scopum suum, qui voluntas Dei est, collineent; hoc enim pacto aequa erunt et recta, tuque in omnibus adversis non solum quieta, sed et contenta eris; quoniam cum nihil absque superna voluntate obvenire possit, eandem si velis, voles pariter et habebis quidquid exoptas ac per omne tempus contingit.

Id, quod de tuis sive aliorum peccatis minime intelligendum est, cum Deus ipsa nolit, locum habet in quovis malo poenae, quod ab iis aut

aliunde procedat, etiamsi ea tam violenta fuerit tamque intime penetret, ut ad cordis tui fundum permanans, naturalis vitae radices exsiccare incipiat; etenim ista quoque crux est, qua Deo summe placet intimos carioresque amicos suos quandoque munerari.

Quod dico de tolerantia in omni casu habenda, intelligas etiam de ea parte cuiusque afflictionis, quae residua erit, quamque Dei voluntas est a nobis sustineri, postquam media licita adhibuerimus, ut ab illa liberemur.

Haec insuper media usurpanda ex praescripto dispositionis voluntatisque Dei, qui ad eum finem illa dispensavit, ut iis utamur, quoniam ipse ita vult; non autem, ut iisdem anxie nimis haereamus neve amemus desideremusque molestiae omnis vacuitatem, impensius quidem, quam servitium ac beneplacitum ipsius requirit.

Caput XLII.

Modus resistendi daemoni, dum studet nos indiscretione decipere.

Cum sagax daemon advertit vivis ac bene ordinatis desideriis per virtutum semitam directe nos incedere nec apertis fallaciis in suam nos trahere sententiam potest, angelum lucis ementitur nobisque amicas cogitationes, Sacrae Scripturae sententias divorumque exempla suggerens, importune instat et urget nos, quo perfectionis fastigium indiscrete arripere properemus, ut nos in aliquod deinde praecipitium deturbet. Nobis idcirco animum exaggerat, quo corpus asperius excipiamus flagris, abstinentia, ciliciis aliisque huiuscemodi afflictationibus, ut vel superbiamus, ingentia

moliri autumantes (ut feminis praesertim accidit), vel ut morbo aliquo nos intercipiente, ad bona opera reddamur inhabiles, vel equidem, ut nimio hoc labore ac molestia spiritualium exercitationum nos pertaedeat eaque abhorreamus et sic in bono sensim tepescentes maiore quam antea aviditate terrenis voluptatibus deliciisque nos addicamus; quod multis evenit, qui spiritus praesumptione, nimii zeli impetum sequentes, immoderatisque exterioribus castigationibus propriae virtutis mensuram praetergressi, in adinventionibus suis fatiscentes periere factique sunt in derisionem malignis spiritibus. Quod iis minime contigisset, si, quae innuimus, attento animo expendissent et in hoc genere poenalium actuum, quamvis laudabiles sint fructumque afferant, ubi sat virium corporalium ac spiritus humilitatis iis respondeat, opus tamen esse temperamento, ut sua cuiusque qualitas naturaque exigit.

Illum autem, qui in hac vitae asperitate cum sanctis nequit insudare, haud aliae deficiunt occasiones ad eorum vitam imitandam magnis efficacibusque desideriis ac fervidis precibus; ad gloriosissimas coronas, quae legitimis certaminibus pro Christo Iesu susceptis debentur, aspirando; mundum universum et seipsum etiam despiciendo; silentio ac solitudini se devovendo; humilem ac mansuetum erga omnes agendo; malum perpetiendo bonumque faciendo cuicumque sibi maxime repugnanti; levissimam quamque culpam effugiendo; quod plane optatius Deo est quam poenaria corporis exercitia, in quibus ut moderata ac parca sis, auctor sum, ut ea, cum opus est, intendas neve quibusdam excessibus in discrimen ac statum adducaris ea praetermittendi; iam enim arbitror in illorum errorem te minime prolapsuram,

qui aliunde spirituales habentur, quique a blandiente natura allecti deceptique, nimium quantum solliciti sunt in integra corporis valetudine tuenda. Eiusque tam zelotypos tamque anxios se praestant, ut minima quaque de causa, iugi semper dubietate ac timore eam deperdendi quatiantur. Nihil insuper est, de quo frequentius recogitent agantque lubentius quam de praecepta sibi victus ratione. Idcirco perpetuo navant operam procurandis escis gustui probatioribus quam stomacho, nimiis interdum deliciis flaccescente; quod cum obtentu fiat, ut famulari Deo melius possint, nihil aliud est, quam velle duos simul componere capitales hostes, absque ullo profectu, immo cum utriusque damno, spiritum videlicet et corpus; huiuscemodi enim sollicitudine huic sanitas, illi devotio decrescit.

Propterea quacumque ex consideratione securior est atque utilior liber quidam vivendi modus, a discretione tamen supradicta nequaquam recedens, ita ut attendantur diversae hominum condiciones, quae eidem regulae non omnes subiacent.

Addo insuper non solum in exercitationibus externis, sed etiam in virtutum interiorum adeptione moderatione aliqua procedendum esse, ut ante demonstratum est, cum de virtutibus per gradus acquirendis disserui.

Caput XLIII.

Quantum valeat in nobis prava nostra proclivitas et daemonis instigatio, ut ad iudicandum temere de proximo inducamur, et de modo iis obsistendi.

Ex supradicto propriae aestimationis elationisque vitio alterum enascitur, quod gravissimum

nobis affert detrimentum, illudque est temerarium iudicium, de proximis nostris conceptum, cuius causa eos vilipendere, aspernari ac deprimere consuescimus. Vitium istud quemadmodum ex mala nostra propensione ac superbia trahit ortum, ita ab ipsa fovetur ac studiose enutritur, siquidem una cum illo ea quoque valescit, sibi perplacet ac sensim ipsa se decipit; quoniam ipsi nec advertentes, eo altius nos erigere praesumimus, quo profundius in nostra existimatione alios deicimus, cum ab illis imperfectionibus remoti nobis videamur, quas in iis vigere credimus.

Et sagax utique daemon hanc pessimam animi dispositionem in nobis comperiens, perpetuas agit vigilias, ut oculos nobis aperiat nosque retineat experrectos, quo aliorum imperfectiones inspiciamus, examinemus exaggeremusque. Haud equidem ab oscitantibus creditur nec agnoscitur, quantum ille navet operam quantumque studeat, ut mentibus nostris imprimat leves aliorum defectus, cum nequit graviores.

Quapropter, in exitium tuum si daemon excubat, vigilias tu quoque nullo umquam tempore laxes, ne in ipsius laqueos incidas, et statim ac quodpiam proximi tui erratum tibi ante oculos ponit, ab eo cogitationem tuam actutum retrahas, quod si ad iudicium efferendum moveri adhuc te senseris, adduci numquam te sinas, verum consideres facultatem hanc tibi minime fuisse concessam; quod quamvis foret, de hoc tamen iudicium proferre aequa lance nequires, cum mille passionibus obsaepta et nimium quantum prona sis ad male de aliis cogitandum absque iusta causa.

Verum ad expeditissimum huius mali remedium memineris, cogitationem in cordis tui necessitati-

bus occupare, siquidem magis magisque quotidie animadvertes tibi tantum negotii esse tantumque in te ac pro te laborandum, ut nec tempus nec voluntas ad aliorum facta attendendi supersit.

Praeterea huic exercitationi, ut par est, incumbens, oculum tuum internum plus plusque in dies expurgabis a pravis humoribus, a quibus pestilens hoc vitium efflatur.

Et scias, cum malum aliquod de fratre sinistre cogitas, eiusdem mali radicem quampiam in corde tuo vigere, quod, ut male affectum est, ita simile quodcumque obiectum sibi obversans in seipso recipit.

Idcirco quando in mentem cadet alios imperfectionis alicuius praecipiti iudicio culpare, ipsa tibi succenseas, utpote eiusdem noxae rea, inque animo tuo dicas: Et quomodo, miseram me, cum in hoc aut gravioribus defectibus sepulta desideam, audebo caput erigere, ut alienos inspiciam et iudicem!

Hoc pacto arma, quae in alios directa teipsam feriebant, in te deflexa vulneribus tuis afferent salutem.

Quod si erratum apertum est ac manifestum, pietatis affectu illud excuses velim ac credas in eo fratre occultas latere virtutes, ad quarum custodiam Dominus permittit ipsum cadere aut per aliquod tempus ab illa imperfectione detineri, ut in oculis suis viliorem seipsum aestimet, cumque ab aliis etiam ob id contemnatur, humiliationis fructum inde colligat Deoque acceptior fiat eoque pacto quaestus suus damno potior evadat.

At si peccatum non modo manifestum est, sed et grave cordisque obdurati, ad tremenda iudicia Dei mentem adicias, in quibus homines inspicies, antea scelestissimos, ad magnae sanctitatis culmen

postea pervenisse aliosque e sublimiore perfectionis statu, quem attigisse videbantur, in miserandum praecipitium fuisse abreptos.

Idcirco perpetuo stes in maiore tui timore ac tremore quam alterius, quisquis ille sit.

Et pro certo teneas, quandocumque bonum aliquod de proximo tuo credis eoque pergaudes, Spiritus Sancti afflatu hoc te efficere omnemque contemptum, temerarium iudicium atque amarulentiam contra ipsum e nostra malitia ac suggestione daemonis enasci.

Proinde si cuiuspiam imperfectio in te fuisset impressa, numquam acquiesces neque oculis tuis tamdiu dabis somnum, dum pro viribus a corde tuo eam abraseris.

Caput XLIV.

De oratione.

Si diffidentia nostri, fiducia in Deum atque exercitatio tam opus sunt in hac pugna, ut hucusque monstravi, oratio super omnia necessaria est (haec autem quartum armaturae genus est ante propositum), qua non solum supradicta, verum etiam quodcumque aliud bonum a Domino Deo consequi possumus.

Siquidem oratio instrumentum est ad gratias omnes obtinendas, quae a divino illo bonitatis atque amoris fonte super nos impluunt.

Oratione (si ipsam recte adhibueris) dexterae Dei aptabis gladium, ut pro te pugnet vincatque.

Ut autem ea probe utare, necesse est earum rerum habitibus, quas mox recensebo, instructa sis vel ut iisdem instruare, sedulo studium ponas.

Dum verum desiderium legitur in te ardeat divinae majestati famulandi, eaque ratione quae gratior illi fuerit.

Ut hoc flagres desiderio, attente consideres Deum dignissimum longe esse, cui serviatur honorque praebeatur ob suas oppido quam mirabiles praecellentias bonitatem sc., majestatem, sapientiam, pulchritudinem aliasque infinitas perfectiones.

Tum annos triginta tres, ut tibi serviret, ipsum sustinuisse ac laborasse foetidaque vulnera tua ac peccati malignitate venenata curasse atque sanasse, haud quidem oleo lota ac vino laneisque fasciis obstricta, verum pretioso liquore, qui e sacratissimis eius venis effluxit, purissimaque carne sua flagellis, spinis clavisque discissa.

Ad haec expendas, quanti servitus ista momenti sit, quando nostri Domini, daemoni superiores, ipsiusque Dei per eam filii efficimur.

Solendo vivax fides ac fiducia in te sit, fore ut Deus largiri tibi velit, quidquid ad servitium ipsius bonumque tuum erit opus.

Haec sancta fiducia vas est, quod divina misericordia gratiarum suarum thesauris adimplet, et quo grandius et amplius erit, eo ditior oratio tua in sinu tuo convertetur.

Et quomodo immutabilis ac omnipotens Dominus facere poterit, quin donorum suorum participes nos reddat, quando idem ipse praecepit ea nos postulare, spiritumque nobis etiam promisit, si cum fide ac perseverantia ipsum efflagrabimus?

Fortiter ad orandum accedas ex intentione divinam solummodo voluntatem, non tuam volendi tam in actu postulandi quam in desiderio consequendi quod petis; nempe quod ad orandum moveare, quia Deus id velit, desideresque exaudiri, quia

ipse etiam ita velit. Denique intentio tua eiusmodi sit necesse est, quod voluntatem tuam cum divina coniungas, non autem ad tuam trahas divinam.

Ratio est, quod, cum voluntas tua ab amore proprio infecta, corruptaque sit, saepe saepius fallitur nescitque quod petit; at divina cum ineffabili bonitate perpetuo coniuncta est nec unquam errare potest. Proinde aliarum omnium voluntatem regula ac regina ipsa est et non solum meretur, sed et vult, ut aliae omnes ipsam sequantur ipsique oboediant.

Res igitur divino beneplacito congruentes semper deposcendae sunt, quod si dubites, quampiam ex iis, huiusmodi nequaquam esse, illam postulabis sub condicione ipsam volendi, si Dominus velit eam obtineri abs te.

Illas autem, quas certo scis ipsi placere, ex. gr. virtutes potius exposces, ut satis Deo facias ac servias, quam ad quemlibet alium finem aut intentionem, licet spiritualem.

Quarto orationem adeas exornata operibus, quae petitionibus respondeant; ac post orationem magis magisque contendas, ut gratia atque virtute expetita efficiaris digna.

Quoniam orandi exercitatio ita ab exercitatione nos ipsos superandi comitanda est, ut prior alteram per gyrum sequatur; alioquin enim virtutem aliquam exposcere neque pro illa obtinenda laborare, Deum potius tentare quam aliud quicquam exsequi, profecto esset.

Quinto petitionibus praecedant ut plurimum gratiarum actiones pro beneficiis acceptis ad hunc vel plane similem modum: Domine mi, qui ex bonitate tua creasti ac redemisti me totiesque et

innumerabiliter, adeo ut ipsa id concipere nequeam, eripuisti me e manibus inimicorum meorum, iam nunc mihi succurre nec mihi denega, quod efflagito, quamvis rebellis ingrataque semper fuerim tibi.

Quod si peculiarem quampiam virtutem expetitura es et adversi quid pateris, ut in eo exerceare, ne illi gratias rependere obliviscaris pro oblata occasione; hoc enim haud exiguum est benefactum.

Sexto cum oratio vim omnem atque efficaciam ad desideria nostra Deum flectendi exhauriat ex eius naturali bonitate ac misericordia, ex meritis vitae ac passionis unigeniti ipsius Filii atque ex eiusdem promisso nos exaudiendi, petitiones tuas claude una aut pluribus ex iis, quas subdo, oratiunculis: Concede mihi, Domine, gratiam istam per summam pietatem tuam. Valeant apud te Filii tui merita impetrare mihi, quod a te posco. Recordare, Deus meus, promissionum tuarum et inclina aurem tuam ad precem meam.

Quandoque etiam gratias postulabis per merita Virginis Mariae aliorumque sanctorum, qui multum apud Deum pollent ideoque magnopere ab eo honorantur, quia in hac vita divinam maiestatem honore fuere prosecuti.

Septimo orationem perseveranter continues necesse est; humilis siquidem perseverantia invincibilem vincit; quod si assidua et importuna viduae evangelicae deprecatio ad suas petitiones iudicem maximo quoque scelere refertum deflexit, quomodonam plenitudinem omnis boni ad preces nostras trahendi vim minime haec habebit?

Quapropter etiamsi post orationem differat Dominus ad te venire teque exaudire, immo con-

traria signa prodat, pergas tamen orare firmamque et vivam in ipsius ope fiduciam retineas; quandoquidem ipsi numquam desunt, immo in ipso infinite superabundant omnia ea, quae ad gratias indulgendas necessaria sunt.

Idcirco dilationis causa ex parte tui si nequaquam procedat, firme teneas, fore ut totum id semper consequare, quod exposces, aut aliud quodpiam utilius tibi aut illud quidem et istud simul.

Et quo magis repulsam ferre tibi videreris, eo amplius in oculis tuis ipsa tibi vilescas et demerita tua considerans inque divina pietate cogitationem defigens in ea semper fiduciam tuam adaugeas, quae viva et inconcussa permanens, quo acrius impugnabitur, eo gratior Domino tuo erit.

Deinde iuges illi gratias refer, eum bonum, sapientem atque amabilem recognoscens, nihilosecius cum aliqua denegantur, quam cum tibi conceduntur; et quidquid contingat, stabilis ac laeta persiste in humili submissione divinae providentiae.

Caput XLV.

Quid sit oratio mentalis.

Oratio mentalis est elevatio mentis in Deum cum actuali aut virtuali petitione rei concupitae.

Actualis fit, quando mentali verbo gratia aliqua deposcitur hac vel paene simili ratione:

Dominus meus, Deus meus, concede mihi gratiam istam ad honorem tuum. Vel: Domine mi, placitum tibi esse credo tuaeque gloriae conducere, quod gratiam hanc et exposcam et obtineam; iam nunc ergo divinum beneplacitum tuum in me adimpleatur.

Cum autem ab inimicis actualiter incesseris, ad hunc plane modum orabis: Domine, ad adiuvandum me festina, ne hostibus cedam. Vel: Deus meus, refugium meum, fortitudo animae meae, succurre mihi velociter, ne labar.

Quod si proelium adhuc summa contentione perurget, in eiusmodi oratione tu quoque perseveres, viriliter semper obluctans tecum decertanti.

Ubi autem hostis ardorem pugnae remiserit, ad Dominum tuum versa, tum inimicum, qui tibi bellum molitus est, tum imbecillitatem tuam ad illi resistendum in haec verba eidem siste:

En, Domine mi, creaturam, opus manuum tuarum ac per summam bonitatem tuam sanguine tuo redemptam! En inimicum tuum, qui illam a te abripere ac deglutire contendit. Ad te, Domine, refugio, in te solo confido, qui omnipotens ac bonus es meamque intueris impotentiam atque promptitudinem, ni opem feras, me illi sponte dedendi. Adiuva me igitur, spes mea ac fortitudo animae meae.

Virtualis petitio fit, cum in Deum mens elevatur ad gratiam aliquam ipsique indigentia nostra detegitur absque eo, quod aliud quippiam poscatur aut dicatur.

Ex. gr. cum ad Deum mentem erigo atque in ipsius conspectu invalidum me agnosco tam ad cavendum mihi a malo quam ad bonum perficiendum illique deserviendi desiderio accensus, cum humilitate ac fiducia subsidium Dei exspectans, Dominum ipsum contueor ac respicio.

Eiusmodi cognitio, flagrans desiderium ac fides coram Deo oratio est, virtualiter, quod mihi opus est, exposcens, et quo cognitio ista clarior atque

sincerior erit et desiderium ardentius vivaciorque fides, eo efficacius postulabit.

Aliud quoque virtualis orationis genus est pressius, quae fit per simplicem mentis obtutum in Deum, ut nobis succurrat; qui obtutus nihil aliud est quam tacita recordatio ac petitio illius gratiae, quam antea petieramus.

Hunc autem orationis modum fac discas tibique reddas familiarem, quoniam, ut experientia edocebit, armorum genus est, quod in qualibet occasione ac loco ad manus habere facile potes, maiorisque virtutis atque adiumenti est, quam quod tibi enuntiare queam.

Caput XLVI.

De oratione per modum meditationis.

Si per aliquod temporis spatium, verbi gratia horae dimidiae vel integrae et amplius orare volueris, orationi adiunges meditationem vitae ac passionis Iesu Christi, actiones ipsius ad virtutem semper intendens, quam adipisci desideras.

Si ex. gr. virtutis patientiae donum obtinere fert animus, aliqua puta mysterii flagellationis puncta meditanda suscipies.

Primo, ut Dominus noster post sententiam Pilati cum clamoribus atque irrisionibus raptatus fuit ab iniquitatis satellitio ad locum, ubi flagris caedendus erat.

Secundo, ut concitatissima rabie exutus ab illo fuit, ipsiusque membra purissima detecta prorsus et nuda mansere.

Tertio, ut innocentes eius manus rigenti fune constrictae ad columnam fuere alligatae.

Quarto, ut totum eius corpus flagellis laceraruntque prosciderunt valentissimi virgatores, unde rivi divini cruoris ad terram usque fluxere.

Quinto, ut in eadem corporis parte ictibus super ictus depluentibus, vulnera iam facta etiam atque etiam fuere exacerbata.

Sic, ubi ad patientiam acquirendam haec vel similia puncta meditari proposueris, primum sensus tuos, quo poteris vivacius, applicabis ad sentiendum amarissimos dolores cruciatusque acerbissimos, quos amabilis Dominus tuus in qualibet sacratissimi corporis sui parte inque omnibus simul perferebat.

Inde sanctissimam ipsius animam cogitatione pervestigabis et, quantum in te erit, concipies, qua patientia ac mansuetudine tot afflictiones tolerabat absque eo, quod tamen expleret famem perpetiendi ad Patris sui honorem nostramque utilitatem maiora atque atrociora supplicia.

Aspicies deinde, quam fervide ac impense concupiscat et requirat, ut afflictionem tuam sustinere velis; quomodo etiam ad Patrem conversus eum deprecetur, quo gratiam tibi dignetur indulgere patienter ferendi crucem, quae tum te divexat, aut quamlibet aliam.

Propterea voluntatem tuam compluries ad hoc flectens, ut omnia aequo animo velit perpeti, ad Patrem extollas mentem eique gratias agas, quod ex mera caritate sua unigenitum Filium suum miserit in mundum, ut tot tamque aspera supplicia perferret ac pro te oraret; ab ipso dein patientiae virtutem efflagites in virtute operum ac precum Filii sui.

Caput XLVII.

Modus alter orandi per meditationem.

Poteris adhuc alio pacto orare simulque meditari. Ubi Domini tui afflictiones attente consideraveris cogitationeque perspexeris promptitudinem, qua eas perferebat, a magnitudine cruciatuum ac patientiae ipsius ad duas alias considerationes transibis.

Prior erit meriti Christi.

Altera voluptatis ac gloriae, quam Pater aeternus percipiebat ex perfecta oboedientia Filii sui patientis.

His duobus divinae maiestati exhibitis, in eorum virtute gratiam expetitam postulabis.

Id quod efficere quibis non solum in quolibet mysterio passionis Domini, verum etiam in unoquoque actu tam interiore quam exteriore, quos in singulis mysteriis eliciebat.

Caput XLVIII.

Modus orandi per intercessionem Virginis Mariae.

Praeter supradictos alius quoque occurrit modus orandi ac meditandi, nempe per intercessionem Virginis Mariae, primum aeterno Patri adiecta mente, deinde dulci Iesu, postremo ipsi gloriosissimae Matri.

Ad Deum conversa res duas consideres.

Prior est voluptas, qua Deus ab aeterno de seipso in Maria considerato afficiebatur, antequam illa haberet Esse ex nihilo extractum.

Altera virtutes actionesque ipsius sunt, postquam mundo fuit edita.

Primum punctum ita meditabere. Cogitationem tuam ultra omne tempus supraque omnem creaturam eleva, in ipsamque aeternitatem ac Dei intellectum pervadens, iucunditatem consideres, qua de seipso in Maria Virgine perfundebatur, interque has delicias ipso Deo invento, in earum consideratione fidenter exposce gratiam ac robur pro tuorum inimicorum destructione, illiusque praesertim, a quo tum bello lacessiris.

Deinde progrediens ad expendendas tot tamque mirabiles virtutes actionesque sanctissimae parentis, Deoque ipsas exhibens, modo omnes simul modo quampiam earum, propter illas ab infinita Dei bonitate, quicquid necesse tibi est, efflagita.

Ad Filium postea mentem vertens, eidem ad memoriam referes virgineum uterum, qui novem menses ipsum portavit; reverentiam, qua eum Virgo a partu recentem adoravit ac verum hominem verumque Deum, filium creatoremque suum recognovit; miserantes oculos, qui ipsum in tanta rerum egestate aspexerunt; brachia, quae eum fuere amplexata; oscula perdulcia, quae ipsi Virgo libavit; lac, quo eum nutrivit; labores tandem animique angores, quos pro ipso in vita ac morte pertulit. Propter quae omnia divino infanti suavem inferes vim, ut te exaudiat.

Ad sanctissimam Virginem demum conversa, fac ei suggeras, ipsam ab aeterna providentia ac bonitate electam fuisse gratiae pietatisque parentem nostramque advocatam. Ea re post benedictum eius Filium apud nullum alium securius ac valentius perfugium quam apud ipsam habemus.

Ad haec veritatis illius ipsam admoneas, quae et scribitur et tot tamque admirandis firmata est

eventibus, quod nempe nullus umquam cum fide eam invocaverit, cuius voto misericorditer Virgo non responderit.

Tandem unici Filii sui labores, quibus pro salute nostra perfunctus est, ante oculos ipsi pones, eam deprecans, ut ab illo gratiam impetret tibi, quo ad ipsius gloriam ac voluptatem in te sortiantur effectum, ad quem ipse eosdem insumpsit.

Caput XLIX.

Considerationes aliquot ad hoc maxime conducibiles, ut cum fide ac fiducia ad Mariam Virginem recurramus.

In omni necessitate tua ad Mariam Virginem si vis confugere cum fide ac fiducia, considerationibus, quae mox sequuntur, praehabitis eam valebis assequi.

Primo abunde constat experientia, omnia ea vasa, in quibus moschus aut pretiosus quispiam liquor reconditus fuerit, illius odorem, quamvis vacua, retinere, eoque amplius, quo maiore temporis spatio in iis fuerit servatus, multoque magis, si ex eo aliquid quoquo pacto ibi remanserit; et tamen moschus omnisque pretiosus liquor vis est terminatae ac finitae. Eadem ratione qui ingenti cuipiam igni astitit, calorem multo tempore retinet, etiamsi ab igne recedat.

Hoc supposito, quonam caritatis igne, quonam misericordiae ac pietatis afflatu viscera Mariae Virginis incensa plenaque esse dicemus, quae novem mensium curriculo in utero virginali complexa est gestatque iugiter in pectore atque amore prosequitur Dei Filium, qui eademmet caritas, miseri-

cordia ac pietas est, haud equidem virtutis finitae ac limitatae, sed infinitae nullisque conclusae terminis! Ita ut quemadmodum ingenti flammae assidens facere non potest, quin calorem concipiat; eodem pacto multoque amplius inops quisque, cum humilitate ac fiducia ad ignem accedens caritatis, misericordiae ac pietatis in Virginis Mariae sinu semper exardentem, auxilia inde exhauriet, dona ac gratias, eoque cumulatiores, quo frequentius maioreque cum fide ac confidentia ipsi appropinquabit.

Secundo nulla umquam creatura Iesum Christum tantum dilexit nec ipsius voluntati tam fuit obtemperans quam parens eius sanctissima.

Si igitur idem Filius Dei, qui totam vitam suam totumque seipsum impendit pro indigentiis nostrum, utpote peccatorum, matrem suam nobis reliquit nostrum omnium matrem atque advocatam, quo ipsa nobis ferat opem nostraeque salutis post ipsum sit mediatrix: quonammodo mater atque advocata nostra nos deserere atque a Filii voluntate vel minimum recedere poterit?

Cum fiducia igitur, filia mea, in quacumque necessitate ad sanctissimam parentem Mariam Virginem perfugias, quoniam dives ac beata est ista fiducia tutumque refugium, quandoquidem gratias ac misericordiae effectus perpetuo progignit.

Caput L.

Modus orandi ac meditandi per intercessionem angelorum omniumque beatorum.

Ut in hoc angelorum sanctorumque utaris auxilio ac favore, duplicem poteris viam persequi.

Primo ad aeternum Patrem dirigere eique tum amorem ac laudes offer, quibus a tota caelesti curia exaltatur, tum labores ac supplicia, quibus sancti pro illius amore in hoc saeculo fuere confecti, et propter haec omnia a divina maiestate, quicquid opus tibi erit, deposce.

Secundo ad hos gloriosos spiritus recurre, quippe qui non solum perfectionem nostram exoptant, sed etiam in altiore ipsorum sede locari nos expetunt, eosque exora, ut tibi subsidium ferant contra omnia vitia omnesque adversarios tuos tibique mortis hora patrocinentur.

Quandoque etiam ingentes ac singulares gratias, quas a supremo creatore acceperunt, expendes, in teipsa vivum amoris atque laetitiae affectum excitans, quod adaucti tot donis sint, non minus ac si tua revera forent.

Immo vero magis gaudebis, quod ii, non tu, ipsa possideant, quandoquidem talis exstitit Dei voluntas, cui propterea tribuas laudes gratiasque rependas.

Ut autem exercitium istud ordinatim ac facile peragas, beatorum agmina in hebdomadae dies partiare hoc pacto.

Dominica die novem angelorum choros suscipies; feria II: S. Ioannem Baptistam; feria III: patriarchas et prophetas: feria IV: apostolos; feria V: martyres; feria VI: pontifices una cum aliis sanctis confessoribus; sabbato virgines simul cum aliis sanctis mulieribus.

Numquam vero obliviscaris per dies singulos identidem refugere ad Mariam Virginem, sanctorum omnium reginam, ad angelum tui custodem, ad S. Michaelem archangelum omnesque sanctos advocatos tuos.

Et quotidie Mariam Virginem deprecare, eius Filium caelestemque Patrem, ut peculiari hac te gratia munerentur, tibi nempe concedant in principem tui advocatum atque patronum sanctum Iosephum, ipsius Virginis sponsum; ad eundem postea sanctum conversa eum fidenter exora, ut tui patrocinium suscipiat.

Admiranda multa feruntur de hoc gloriosissimo sancto, et plurima enumerantur dona, quibus fuere cumulati, quicumque ipsum coluerunt atque habuere asyli loco, non tantum in spiritualibus, verum etiam in temporalibus necessitatibus; et praesertim cum formandi forent pii homines ratione bene orandi ac meditandi.

Quod si Deus alios sanctos tanti facit, eo quod, viventes in carne, obœdientia ac honore ipsum fuere prosecuti, quanti credendum est humillimum beatissimumque Iosephum a Deo aestimari eiusque preces apud ipsum valere, quippe cui Deus idem in terris tantum honoris tribuit, ut ipsi subditus esse, ipsi deservire atque obtemperare, ut parenti, voluit.

Caput LI.

De meditatione passionis Christi, ut diversos ex ea affectus nobis conciliemus.

Quod supra dixi de passione Domini nostri, ad orandum meditandumque conducit per petitiones; modo subdam, quo pacto ab eadem diversos eliciamus affectus.

Meditandam proponis tibi ex. gr. crucifixionem Iesu Christi; in hoc mysterio inter alia puncta haec, quae sequuntur, expende.

Primo, ut Christus Iesus in Calvariae monte a rabidis satellitibus furenter denudatus fuit eiusque caro cum vestibus conglutinata ex vulneribus, quae in flagellatione acceperat, in frusta discerpta fuit.

Secundo, ut spinea corona ab ipsius capite fuit avulsa, quae, denuo imposita, recentia vulnera inflixit.

Tertio, ut malleorum ictibus clavisque trabalibus immaniter affixus fuit cruci.

Quarto, ut sacra eius membra, cum ad foramina figendis clavis aperta pertingere nequirent, tanta violentia ab iis canibus fuere extenta, ut ossa omnia eluxata singillatim numerari possent.

Quinto, ut sacratissima Domini vulnera, cum ipse e dura trabe dependens, nulla alia re quam clavis sustentaretur, ob propendentis corporis pondus indicibili dolore exaggerata atque exasperata fuere.

Ex his aliisve punctis amoris sensum si incendere in te cupis, eorum meditatione studeas ire de cognitione in ampliorem cognitionem infinitae Domini tui bonitatis amorisque erga te, quippe qui tanta pro te perpeti supplicia voluit; quo enim cognitio ista in te magis augebitur, eo amplius excrescet amor.

Ab eadem inspectione bonitatis amorisque infiniti, quem idem Dominus tibi commonstravit, suavi negotio contritionem et dolorem exhauries, quod toties tantaque ingratitudine offenderis Deum tuum, qui pro iniquitatibus tuis tot ignominiis totque cruciatibus affectus fuit.

Ut voceris in spem, mediteris, tam sublimem Dominum in tantae calamitatis statum decidisse, ut peccatum exstingueret teque a daemonis laqueis tuisque peculiaribus culpis exsolveret, ut aeternum

Patrem tibi propitiaretur fiduciamque sufficeret ad ipsum confugiendi in quacumque tua necessitate.

Laetitiam inde percipies, si a consideratione poenarum ipsius ad aliam earundem effectuum pertransieris, nempe quod illis totius mundi peccata expurgat, Patris iram placat, principem tenebrarum confundit, mortem perimit sedesque angelorum adimplet.

Praeterea ad gaudium moveare ob iucunditatem, qua tota sanctissima Trinitas, Virgo Maria, Ecclesiaque militans et triumphans propter haec affusa est.

Ut in peccata tua odium concipias, puncta omnia, quae meditaberis, ad hunc solum finem intende, ut tibi persuadeas, ad illum specialem effectum Dominum tuum poenas subiisse, ut in te suscitaret odium in pravas tuas propensiones, illamque praesertim, quae in te dominatur impotentius divinaeque bonitati magis invisa est.

Ut in admirationem inducare, perpendas, an maior atque admirabilior ista cerni res possit, quod scilicet universi creator, omnia vivificans, a creaturis postuletur ad necem; suprema maiestas proculcetur ac vilipendatur; iustitia condemnetur; divina pulchritudo sputis inquinetur; caelestis Patris amor habeatur odio; lux increata atque inaccessibilis in tenebrarum potestatem adigatur; gloria ac felicitas ipsa reputetur opprobrium et abiectio generis humani atque in extremae miseriae abyssum abrepta sit.

Quo Domino tuo doloribus confecto compatiare, post cruciatuum externorum meditationem cogitatio tua ad alios penetret sine comparatione acerbiores, qui interne eum angebant. Quod si ob illos affligeris, mirum dictu esset, si propter hos cor tuum dolore minime disrumpatur.

Divinam essentiam conspiciebat anima Christi, ut eam modo in caelo contuetur eamque omni honore ac famulatu plus quam dignissimam agnoscebat, ad idque creaturas omnes totis viribus addici ex inenarrabili erga illam caritate peroptabat.

Proinde cum eam e contrario infinitis mundi peccatis atque abominandis sceleribus tam insolenter offensam ac vituperatam cerneret, eodem simul tempore infinitis dolorum aculeis transfigebatur. A quibus eo atrocius cruciabatur, quo ardentior erat amor et quo optabat intensius, ut tam excelsae maiestati a cunctis honor atque obsequium tribueretur.

Uti autem amoris huius et desiderii magnitudo comprehendi nequaquam potest, ita nemo pertingere valet ad noscendum, quam acerba ac gravis ob id fuerit crucifixi Domini Iesu interna afflictio.

Ad haec cum ipse mortales omnes ineffabiliter diligeret, proportionaliter ad hunc amorem supra modum doluit propter omnia eorum peccata, quibus ab ipso divellendi forent. Quoniam ob singula peccata mortalia, quae perpetraturi erant universi homines, qui fuerunt vel erunt umquam, toties profecto, quoties unusquisque delinquebat, ab anima Iesu separabatur, cum qua per caritatem fuerat coniunctus.

Separatio asperiorem eo dolorem efficiens quam corporalium distractio membrorum, cum a naturali pyxide sua seiunguntur, quo anima, cum purus spiritus sit et corpore nobilior atque perfectior, doloris ideo susceptibilior erat.

Inter omnes cruciatus, quos pro creaturis perpessus est Dominus, acerbissimus sane ille fuit, quo pro omnibus damnatorum peccatis confectus

est, qui cum sibi nullo umquam tempore reuniendi forent, aeternis incomparandisque suppliciis perferendis destinabantur.

Anima autem ob dulcis Iesu poenas tenerescens, si penitius cogitatione pervadet, in eo dolores commiserandos inveniet, acerrimos quidem, et non solum pro peccatis commissis, sed etiam pro illis, quae admissa numquam fuere, siquidem haud dubium, quin et illorum condonationem et praeservationem ab istis Dominus noster suppliciorum suorum pretio lucratus est nobis.

Et vero, filia mea, considerationes aliae numquam tibi non suppetent, ut Iesu cruciatibus indoleas.

Quandoquidem nullus umquam fuit eritve dolor in qualibet rationali creatura (his in terris, quem in semetipso Christus non senserit.

Quoniam cunctas hominum afflictiones tam magnas quam parvas, cum animae tum corporis adusque minimum capitis dolorem et acus punctionem piissimus Dominus noster perfecte vidit atque ex immensa caritate sua iis compati illasque in corde suo voluit imprimere.

Verum enimvero quantum sanctissimae parentis angores ipsum divexarint, nullus umquam valebit exponere. Quoniam omnibus modis ac quibuscumque de causis Dominus noster doluit ac passus est, omnibus his quoque, etsi non tam intense, acerbissime tamen doluit ac passa est Virgo benedicta. Et hi quoque matris dolores interiora vulnera benedicti Filii refricabant, et tot veluti sagittis amore candentibus tenerrimum ipsius cor consauciatum fuit, quod propter supplicia, quae enumeravi, aliaque paene infinita nobis occulta, dici equidem possit amans infernus ultronearum poenarum,

quemadmodum piae cuiusdam animae moris fuisse scribitur, ut per sanctam simplicitatem hoc ipsum nomine compellaret.

Filia mea, horum omnium causam dolorum, quos Dominus ac redemptor noster pertulit, si probe disquiras, nullam aliam quam peccatum invenies.

Ex hoc igitur liquido constat verum ac praecipuum compassionis affectum gratiarumque actionem, quam a nobis exigit Dominus ipsique ineffabiliter debemus, hanc esse, eius nempe offensas dolenter ferre ob ipsius amorem simpliciter, supra omne odium peccatum odisse ac strenue dimicare contra omnes eius inimicos pravasque nostras propensiones, ut veterem hominem cum actibus suis exuti novum induamus, evangelicis virtutibus animam nostram exornantes.

Caput LII.

De fructibus e crucifixi meditatione colligendis ac de ipsius virtutum imitatione.

Inter alios fructus ex hac piissima meditatione decerpendos unus erit, quod non tantum praeterita peccata tua doleas, verum etiam ingemiscas, quod vivant in te inordinatae passiones tuae, quae Dominum tuum in crucem sustulere.

Alter erit, quod culparum tuarum veniam tuique perfectum odium deposcas, ne eum amplius laedas, immo quo illi aliquid rependas pro tot cruciatibus, quos pro te sustinuit, ut illum diligas ipsique in posterum perfecte deservias, id quod absque hoc sancto odio effici nequaquam potest.

Tertius est, quod re ipsa quamcumque pravam propensionem tuam vel minimam ad mortem usque consecteris.

Quartus est, quod totis viribus servatoris virtutes imitari contendas, qui non solum ad nos redimendos passus est, pro iniquitatibus nostris faciens satis, verum etiam ut nobis exemplum relinqueret eius sancta vestigia sequendi.

Hic autem tibi exhibeo meditationis modum, qui ad hoc maxime conducet.

Patientiam adipisci si verbi gratia peroptas, ut Christum tuum imitere, quae subiciam puncta perpendas.

Primo, quid anima Christi patientis erga Deum peragat.

Secundo, quid Deus erga animam Christi.

Tertio, quid anima Christi erga seipsam suumque sacratissimum corpus.

Quarto, quid Christus erga nos.

Quinto, quid nos erga Christum debeamus exsequi.

Primo igitur consideres, quomodo anima Christi, tota in Dei contemplationem absorpta, obstupescat, contuens infinitam atque incomprehensibilem illam magnitudinem, cuius comparatione creata omnia ut verum nihilum sunt, subiecta (cum tamen immobilis in gloria sua permaneat) iniquissimis contumeliis propter homines subeundis, a quibus nihil aliud quam infidelitatem atque iniurias excepit; et deinde inspicias, ut eam adoret, ei gratias agat totamque se illi offerat.

Secundo intuere, quid Deus erga Christi animam efficiat, quomodo vult eamque incitat ad sustinendas pro nobis alapas, sputa, blasphemias,

flagella, sentes ac crucem, voluptatem suam ei detegens conspiciendi ipsam quibuslibet opprobriis atque afflictionibus omnino cumulatam.

Tertio ad animam Christi inde pertranseas ac recogites, quomodo ipsa intellectu suo, qui totus lumen est, perspiciens, quam ingens in Deo sit voluptas ista, affectuque suo, qui totus ignis est, divinam maiestatem diligens supra omnem mensuram tum propter infinitum ipsius meritum, tum quod immense obligatam se illi censeat, cum ab ipsa invitetur ad patiendum pro nostrum amore adque nostrum exemplum, quomodo, inquam, laete ac hilaris paret se ad prompte oboediendum sanctissimae ipsius voluntati.

Ecquis umquam intra profunda illa desideria penetrare valebit, quibus ob id purissima amantissimaque anima illa exaestuat? His sane, veluti labyrintho poenarum, includitur, exquirens semper et numquam inveniens (ut vellet) novos modos viasque patiendi. Proinde seipsam totam innocentissimamque carnem suam ludibrio ac in manus iniquorum hominum daemoniorumque inferni liberrime tradit, ut de ea, quidquid iis lubet, efficiant.

Quarto inspice Iesum tuum, qui pietatis oculos ad te dirigens tibi inquit: En, filia mea, quo immoderatae concupiscentiae tuae me adegere, quando ne minimam quidem vim inferre tibi voluisti! En quanta patior, quamque laetanter pro tui amore, utque verae patientiae exemplum tibi ponam! Per omnes dolores meos obsecro te, filia, ut aequo animo feras crucem istam omnemque aliam, quae acceptior mihi erit, in manus omnium persecutorum, quos in te inveham, te prorsus tradens, quantumlibet viles crudelesque sint contra honorem

corpusque tuum simul. Ah! si scires consolationem, quam inde percipiam! At vero perspicere luculenter illam potes in plagis istis, quas veluti carissimas gemmas excipere volui, ut pretiosis virtutibus pauperrimam animam tuam, quam praeter omnem aestimationem dilexi, probe exornarem. Quod si ego propterea in extremas hasce angustias adductus sum, cur, sponsa mea dilecta, tantillum noles perpeti, ut satis cordi meo facias measque demulceas plagas ab impatientia tua mihi inflictas, quae tam amare ipsisque plagis valentius me discruciavit?

Quinto, quis tecum eiusmodi habeat sermonem, recte perpendas, videbisque eundem esse regem gloriae, Iesum Christum, verum Deum verumque hominem. Recole cruciatuum atque contumeliarum ipsius immanitatem, quae infamissimo quoque latrone forent indignae. Intuere, ut Dominus tuus inter tot tormenta non solum immobilis ac mirandum in modum erecto animo patiatur, verum etiam de ipsis perinde laetetur, ac si nuptiae suae essent. Et quemadmodum ignis modicae aquae iniectu amplius exardet, ita incremento cruciatuum, qui tamen superabundanti ipsius caritati exigui erant, magis magisque crescebat animi iucunditas desideriumque atrociores utique hauriendi. Considera totum hoc pertulisse atque egisse clementissimum Dominum, haud equidem vi coactum aut commodo suo inductum, verum (ut ipse tibi innuit) ob caritatem suam erga te, et quo ad imitationem ipsius in patientiae virtute exerceare. Tum intimius penetrans in id, quod exigit abs te, ac in voluptatem, quam illi afferes, in hac virtute si exerceberis, actus elicies voluntatis incensae desiderio sustinendi non modo patienter, sed et cum

gaudio instantem crucem tuam omnemque aliam, quamvis gravior foret, ut melius Deum tuum imitere eique plenius morem geras.

Tum mentis tuae oculis sistens Domini ignominias atque amaritudines pro te delibatas ipsiusque constantiam ac patientiam, arbitrari te pudeat patientiam tuam umbram tantum esse patientiae tuosque dolores ac vituperia vera esse. Expavesce ac tremisce, ne minima quidem cogitatio nolendi pro Domini tui amore perpeti locum habeat remanendi vel paulisper intra cor tuum.

Hic Dominus crucifixus, filia mea, liber est, quem tibi trado legendum, a quo verum omnis virtutis exemplar valebis expingere. Siquidem cum liber vitae sit, non solum verbis intellectum instruit, verum etiam vivo exemplo voluntatem inflammat. Librorum plenus est mundus totus, et tamen omnes simul ita perfecte edocere nequeunt modum virtutes omnes acquirendi, uti id assequimur crucifixum Deum contemplantes.

Scito, filia mea, eos omnes, qui horas multas insumunt, Domini nostri passionem deplorantes ipsiusque expendentes patientiam, quique in adversitatibus supervenientibus ita impatientes se exhibent, perinde ac si in oratione quicquam aliud didicissent, eos, inquam, saeculi militibus similes exsistere, qui sub tentoriis et ante congressum magna sibi pollicentur, simul ac autem in conspectum dant sese hostes, proiectis armis aufugiunt. Ecquid vero stultius ac miserabilius, quam Domini virtutes, velut in pellucido speculo, contueri, eas diligere ac stupere et postea illarum penitus oblivisci aut nihil eas pendere, cum ipsas excolendi ampla occurrit occasio.

Caput LIII.

De sanctissimo eucharistiae sacramento.

Hucusque, filia mea (ut ipsa vidisti), quattuor armorum generibus, quae ad inimicos tuos evincendos opus erant, te communivi, tum plurima tradidi monita, ut illa rite tractares; reliquum est, ut aliud quoque tibi praebeam, nempe sanctissimum eucharistiae sacramentum.

Et quemadmodum sacramentum istud ceteris omnibus sacramentis antecellit, ita quintum hoc armorum genus omnibus aliis praestantius est.

Quattuor praecedentia valorem suum ex meritis et gratia, quam sanguis Christi promeritus est nobis, exhauriunt; hoc autem sanguis idem est Iesu Christi, ipsius caro, anima ac divinitas ipsa.

Cum illis pugna committitur in hostes per virtutem Christi, cum isto adversus eosdem simul cum Christo proeliamur, et Christus nobiscum dimicat, quoniam qui manducat carnem Christi et bibit eius sanguinem, manet cum Christo et Christus cum ipso.

Et quoniam telum istud tractari et divinissimum hoc sacramentum sumi duplici modo potest, sacramentaliter semel una eademque die et spiritualiter singulis horis ac momentis; secundo modo sacpissime illud debes suscipere, priore autem, quoties tibi conceditur.

Caput LIV.

Quomodo sanctissimum eucharistiae sacramentum sumendum sit.

Multiplici ex fine ad divinissimum eucharistiae sacramentum accedere possumus, pro cuius con-

secutione diversa nobis obeunda in triplici temporis differentia: ante communionem scilicet, hora ipsa communionis instante et post communionem.

Ante communionem (quocumque ex fine admoveamur ad istam) abluamur mundemurque nenesse est per poenitentiae sacramentum a mortiferi peccati labe, si qua forte inquinati essemus ac toto cordis affectu devoveamus nos ipsos, totam animam, totas vires cunctasque potentias nostras Iesu Christo omnique rei, quae ipsi placeat; quandoquidem in hoc augustissimo sacramento tradit nobis sanguinem, carnem, animam, divinitatem ac merita sua: tum expendentes, donum nostrum tanto Christi muneri comparatum, exiguum et fere nihil esse, expetamus habere quicquid umquam exhibuerunt obtuleruntque creaturae omnes cum caelestes tum terrestres, ut illud idem maiestati divinae offeramus.

Proinde si communionem adire in animo est, ut tui ipsiusque hostes in te superentur ac destruantur, antequam huic communices sacramento, a vespere aut etiam citius incipias expendere, quam intense Dei Filius cupiat, per hoc divinissimum sacramentum locum sibi abs te dari in corde tuo, ut tibi uniatur atque opituletur ad quamcumque vitiosam passionem tuam expugnandam.

Desiderium istud Domini tui tam ingens atque immensum est, ut ab intellectu creato comprehendi nequaquam possit.

Ut tamen aliquantum ipsum concipias, haec duo menti tuae altius imprimes.

Prius est ineffabilis plus quam boni Dei voluptas, qua nobiscum manens affunditur; siquidem hoc ipsum delicias suas appellat.

Alterum est consideratio haec, sc. quod supra modum ipse peccatum odio prosequitur, tam quia impedimento illud est obstatque unioni, quam nobiscum facere tam ardenter concupiscit, quam quod pugnans omnino est cum divinis eius perfectionibus, quoniam cum ipse sit summum bonum, pura lux ac infinita pulchritudo, fieri non potest, quin exosum habeat abomineturque infinite peccatum, quod nihil aliud est quam tenebrae, defectus atque intolerabilis animarum nostrarum macula.

Hoc autem Domini nostri odium in peccatum tam acre est, ut ad huius destructionem ordinata fuerint opera omnia cum Veteris tum Novi Testamenti, et praesertim illa sacratissimae passionis Filii sui, qui, ut illuminati a Deo sancti inquiunt, ad obliterandam vel minimam culpam in nobis iterum, si opus foret, et millies mortem oppetiturus esset.

Ex his considerationibus cum dispexeris, licet multo imperfecte, desiderii magnitudinem, quo Dominus tuus exaestuat in cor tuum ingrediendi, ut tuos suosque simul inimicos extrudat ac penitus atterat, ardens in te desiderium accendas ipsum percipiendi ad eundem finem.

Ita prorsus confirmato animo multoque erectior facta per spem adventus caelestis imperatoris in animam tuam, ad certamen provoca nec semel passionem, quam depugnandam suscepisti, illamque reprime tum iteratis aversationis actibus tum aliis contrariae virtutis elicitis; id quod agere perges vespere et mane ante sanctissimam communionem.

Sanctissimum vero sacramentum sumptura, paulo ante recensebis breviter delicta tua ab ultima communione ad istam usque perpetrata, quae perinde

perpetrasti, ac si Deus minime exsisteret nec tanta pro te perpessus fuisset in mysteriis passionis suae, quandoquidem vilissimam voluptatem tuasque concupiscentias pluris aestimasti quam Dei voluntatem ac honorem: hic teipsam erubescens ac pio timore correpta, in ingratitudine atque indignitate tua confundere.

Verum enimvero considerans interminatam bonitatis Domini tui abyssum invocare abyssum ingratitudinis ac modicae fidei tuae, ad ipsum fidenter accede, ampliorem in corde tuo locum ipsi tribuens, ut supremus et solus eius Dominus esse possit.

Tunc autem cor tuum ipsi dilatabis, cum quamcumque creaturarum dilectionem exterminabis a corde illudque deinde claudes, ne aliud quicquam praeter Dominum tuum illuc ingrediatur.

Post communionem, in cordis tui penetralia ilico secede et prius adora Dominum tuum, deinde omni cum humilitate ac reverentia ita mentaliter eum affare:

Equidem perspicis, o unicum animae meae bonum, quam facile te laedam, et quantum contra me passio ista praevaleat, nec ex meipsa satis habere virium, ut ab ea me liberem. Proinde tua potissimum pugna haec est, atque a te solo victoriam spero, quamvis mea etiam dimicare intersit.

Tum ad Patrem conversa, in gratiarum actionem adque tui victoriam impetrandam benedictum eius Filium, quem ille tibi dedit ac modo intra temetipsam tenes, ipsi offeras; cum passione tua demum strenue decertans, opperiare cum fiducia victoriam a Deo, qui, modo ex parte tua, quantum poteris, allabores, te minime deseret, etiamsi victoriam procrastinaret.

Caput LV.

Quomodo praeparari debeamus ad communionem, ut Dei amorem in nobis excitemus.

Quo supercaelesti hoc sacramento ad Deum tuum diligendum incendare, amorem ipsius erga te recole, pridie ad vesperam considerans:

Quomodo immensus ac omnipotens Dominus, cum satis non habuerit ad imaginem et similitudinem suam te creasse ac unigenitum Filium suum misisse in terras, ut triginta tres annos pro tuis iniquitatibus abolendis pateretur asperrimosque cruciatus et acerbissimam crucis mortem ad te redimendam subiret, voluit insuper eundem tibi in cibum pro tuisque necessitatibus in sanctissimo eucharistiae sacramento relinquere.

Filia mea, recte perpendas incomprehensibiles dilectionis huius praecellentias, quae perfectissimam undecumque et profecto singularem eam reddunt.

Primo, si tempus respiciamus, Deus noster ab aeterno et absque ullo principio dilexit nos, et sicuti aeternus divinitate sua est, ita etiam aeternus est amor, per quem ante omnia saecula in mente sua decrevit Filium suum mirando hoc modo nobis elargiri.

Propterea interiore laetitia iubilans dicito: Ergo in illa aeternitatis abysso tenuitas mea tanti aestimabatur diligebaturque a summo Deo, ut ipse de me cogitaret atque ineffabili caritatis affectu concupisceret eundem Filium suum in escam mihi conferre?

Secundo, quicumque alius amor, quantumlibet ingens, aliquo clauditur termino nec extendi ul-

terius potest, verum hic solus Domini nostri amor sine mensura est.

Cum ergo sibi plene satisfacere vellet, proprium Filium in maiestate ac infinitate aequalem sibi, unius eiusdem substantiae naturaeque nobis tradidit. Idcirco tantus est amor, quantum est donum, ac tantum donum, quantus amor; utrumque tam grande, ut ampliorem magnitudinem nullus umquam intellectus imaginari queat.

Tertio neque ad nos diligendos ulla necessitas aut vis ulla Deum adegit, sed intrinseca ac naturalis eius bonitas ad talem tamque incomprehensibilem affectum erga nos unice ipsum admovit.

Quarto neque ullum opus aut meritum nostrum praecurrere potuit, ut immensus ille Dominus in tantum amoris excessum pro nostra exilitate abriperetur; per solam igitur munificentiam suam semetipsum, quantus est, nobis indignissimis creaturis suis donavit.

Quinto amoris huius puritatem si mente recogites, nullo Dei commodo permixtum esse, ut sunt mundi affectus, animadvertes; si quidem Dominus Deus bonorum nostrorum non eget, cum ipse sit absque nobis in seipso felicissimus ac gloriosissimus; inenarrabilis igitur eius bonitas caritasque sese pro nobis impenderunt, nec ad ipsius, sed ad nostram prorsus utilitatem.

Quibus praeclare expensis intra teipsam dices: Quomodonam sublimi adeo Domino cordi est creatura tam vilis? Quid vis, o rex gloriae, quid opperiris a me, quae nihil aliud sum quam modicus pulvis? Equidem, mi Deus, in lumine exaestuantis caritatis tuae affatim detego, hoc solo te trahi fine, qui luculentius etiam amoris tui erga

me puritatem revelat, quod nempe ad nihil aliud te totum in escam mihi praebeas, quam ut in te totam me convertas, nec sane quia opus me habeas, verum quo, cum tu in me vixeris et ego in te, per hanc amoris unionem ego in teipsum evadam atque ex vilitate terreni mei cordis unicum fiat tecum divinum cor.

Unde stupore ac iucunditate redundas, cum te videas tanti aestimari diligique a Deo et noscas ipsum omnipotenti amore suo nihil aliud intendere nec a te velle, quam totum amorem tuum in se attrahere, ab omnibus prius creaturis te abripiens et proinde etiam a teipsa, quae creatura utique es, Domino tuo in holocaustum totam te offeras, ut solus in posterum ipsius amor ac divinum beneplacitum moveat intellectum, voluntatem memoriamque tuam tuosque sensus moderetur.

Cum deinde conspicias nullam rem tam divinos effectus in te producturam, quam si in augustissimo eucharistiae sacramento illum exquiras, ipsi ad hunc finem cor aperias per orationes iaculatorias amorisque aspirationes, quas subsigno.

O supercaelestem cibum! Quandonam veniet hora, qua totam me nullo alio quam tui amoris igne combustam tibi sacrificabo? Quandonam? Quandonam, o amorem increatum?

O panem vivum! Quando ex te, per te et ad te tantummodo vivam? Heu! Quando, o mea vita, o formosa, iucunda aeternaque vita?

O caeleste manna! Quando quemcumque alium terrenum cibum fastidiens te solum concupiscam, te solo pascar? Quando hoc erit, dulcedo mea, quando, unicum meum bonum? Heu! Domine mi amabilis ac omnipotens, iam nunc miserandum cor istud a quacumque rebus creatis adhaesione omni-

que vitiosa passione exsolve, sanctis tuis virtutibus adauge eique tribue purum illum finem omnia simpliciter peragendi, ut tibi placeat; hoc enim pacto cor meum tibi reserabo, invitabo te tibique suavem inferam vim, ut in illud ingrediare, et tu, Domine mi, absque ulla resistentia in me deinde eos effectus operaberis, quos semper exoptasti.

Hi erunt amoris affectus, quibus detineberis vespere et mane, quo ad communionem praepareris.

Communionis autem tempore adventante, quid susceptura sis, expende.

Filius Dei hic est maiestatis incomprehensibilis, ante cuius conspectum tremiscunt caeli ac universae potestates.

Sanctus sanctorum, speculum sine macula, puritas incomprehensibilis, cuius comparatione creatura nulla munda est.

Ille, qui ut vermis et abiectio plebis voluit pro tui amore reici, conculcari, illudi, sputis foedari crucique affigi ab hominum malitia et iniquitate.

Sumptura, inquam, es Deum, in cuius manu posita est vita ac mors totius mundi.

Tu autem e contrario ex teipsa nihil es et propter peccatum malitiamque tuam inferior facta es vilissima ac immundissima quaque irrationali creatura dignaque effecta, quae ab omnibus inferni daemoniis confundaris ac ludificeris.

Et cum debueris tam ingentibus atque innumerabilibus benefactis graditudinis causa vicem reddere, concupiscentiae tuae voluntatisque impetum secuta, tam magnum, tam excelsum amabilemque Dominum contempsisti eiusque pretiosum sanguinem proculcasti.

Ipse nihilominus in caritate sua perpetua ac immutabili bonitate ad divinam mensam suam te vocat ac nonnumquam mortem comminatus ad eam te compellit. Neque misericordiae suae ianuam tibi claudit nec divinos quidem oculos a te avertit, quamvis tuapte natura leprosa sis, clauda, hydropica, caeca, daemoniaca, multisque fornicariis te prostitueris.

Hoc solum a te exquirit:

Primo, quod offensam ipsius acerbe feras.

Secundo, quod super omnia peccatum cum grave tum leve odio prosequare.

Tertio, quod totam te offeras ac devoveas affectu per omne tempus effectuque per occasionem ipsius beneplacito et imperio.

Quarto, quod deinde speres ac firme fore credas, ut tibi ignoscat, te mundet atque ab omnibus inimicis tuis custodiat.

Ubi ineffabilis Domini tui caritatis recordatione sustuleris animum, ad communionem accedes pio simul cum timore et amore dicens:

Domine, non sum digna, quae te recipiam; graviter enim toties offendi te necdum, ut debeo, offensam tuam deflevi.

Domine, non sum digna, quae te recipiam; nondum enim munda omnino sum a venialium culparum affectu.

Domine, non sum digna, quae te recipiam; nondum enim amori tuo, voluntati tuae tuoque obsequio sincere me consecravi.

Heu! Domine mi omnipotens ac infinite bone, in virtute bonitatis tuae tuique verbi dignam me fac, quae cum hac fide, o amor meus, tui perceptione sacramenti perfruar.

Post communionem intra cordis tui secreta claudare et cuiuscumque rei creatae oblita Dominum tuum ad hunc vel similem paene modum alloquere:

Dulcissime rex gloriae, ecquisnam intra me, quae miserabilis, egena, caeca nudaque sum, adduxit te? Respondebit ipse: Amor.

Tum illi inquies: O amorem increatum, o dulcem amorem, quid a me poscis? Nihil aliud, dicet, quam amorem. Neque alium flagrare ignem volo super altare cordis tui, in sacrificiis inque omnibus operibus tuis, quam mei amoris ignem, qui quemcumque alium amorem omnemque voluntatem tuam absumens odorem suavissimum naribus meis exhalet.

Hoc petii semperque petam, quandoquidem totus tuus esse desidero teque totam esse meam. Id quod numquam fiet, dum tui resignationem, qua tantum oblector, minime faciens, tuimet amori, propriae sententiae, cunctis tuis concupiscentiis atque hominum aestimationi adhaerebis.

Odium tui a te postulo, ut amorem meum tibi elargiar; cor tuum deposco, ut meo uniatur, ideo enim in cruce apertum mihi fuit; teque totam exigo, ut ego totus sim tuus. Equidem certe vides incomparabilis pretii me esse, et nihilominus per meam bonitatem satis habeo tanti valere, quanti tu vales.

Ex te, filia mea dilectissima, exquiro, ut nihil velis, nihil cogites, nihil intelligas, nihil videas praeter me meamque voluntatem, ut ego totus in te velim, cogitem, intelligam videamque, ita ut nihilum tuum a meae infinitatis abysso absorptum, in ipsam convertatur; hoc pacto in me eris affatim beata ac felix, et ego in te plene contentus.

Tandem aeterno Patri Filium suum offeras primum in gratiarum actionem, tum pro indigentiis tuis, totius sanctae Ecclesiae, tuorum omnium consanguineorum, illorum, quibus beneficio aliquo obstricta eris, demum pro animabus purgatorii; hanc vero oblationem in memoriam ac in unione illius facies, quam Christus de seipso praebuit, quando cruentus totus, e cruce pendens, semetipsum obtulit Patri.

Pari ratione sacrificia omnia, quae in sancta Romana Ecclesia libantur ea die, offerre Deo poteris.

Caput LVI.

De communione spirituali.

Quamvis Christi Domini corpus semel tantum eodem die sacramentaliter sumere nobis liceat, nihilominus spiritualiter suscipi, ut dixi, qualibet hora et quovis momento potest, neque ab ulla creatura, praeterquam a negligentia aliave culpa nostra, sumptione ista prohiberi possumus.

Haec autem communio tantum fructuosa et tantum Deo grata quandoque erit, quantum fortasse perplures aliae sacramentales minime erunt ex recipientium defectu.

Quandocumque igitur ad hanc communionem tete dispones atque parabis, Filium Dei promptum invenies ad te spiritualiter propriis manibus seipso pascendam.

Ut ad eam rite praepareris, mentem ex hoc fine in ipsum Dominum conicies, tuasque noxas breviter perstringens, ob eius offensam dolore afficiare, cum omni postea humilitate ac fide ipsum depreceris, ut pauperem animam tuam dignetur

intrare, novam invehens gratiam, qua eam sanet et contra inimicos suos communiat.

Pariter cum tibi illatura vim et in quovis appetitu tuo mortificatura es temetipsam aut aliquem virtutis actum elicitura, omnia ad hunc finem peragas, cor tuum videlicet Domino praeparandi, qui iugiter illud exquirit abs te. Tum cogitatu tuo in ipsum Dominum adiecto magno cum desiderio eum compella, ut gratia sua te sanatum atque ab inimicis liberatum veniat, quo solus ipse cor tuum possideat.

Vel praeteritam sacramentalem communionem recolens, incenso dicas corde: Quando, Domine mi, sacro iterum epulo recreabor? Quando? quando?

Quod si potiore tum devotione tum methodo praeparari et spiritualiter communicare volueris, a praecedente vespere omnes dirige mortificationum virtutumque actus et quodvis aliud bonum opus ad finem spiritualiter recipiendi Dominum tuum.

Tum summo mane perpendens, quo bono quaque beatitate anima illa adimpleatur, quae divinissimo eucharistiae sacramento, uti par est, reficitur; quandoquidem in ipso amissas virtutes recuperat, ad priorem pulchritudinem regreditur et particeps fit fructuum meritorumque passionis eiusdem Filii Dei; deinde quam accepta Deo res sit, a nobis assumi eaque bona possideri, in corde tuo ingens desiderium succendere studeas eum suscipiendi, ut illi perplaceas.

Desiderio isto inflammata, ad eum te vertas in haec verba: Quoniam te, Domine, sacramentaliter hodie sumere nequaquam mihi datur, fac tu, o bonitas ac potentia increata, ut noxis omnibus mihi condonatis omnique vulnere curato spiritualiter

te digne pascar nunc, quavis hora et qualibet die, gratiam vimque novam mihi addens contra adversarios omnes, et praesertim adversus quem, ut tibi placeam, decerto.

Caput LVII.

De gratiarum actione.

Cum quodcumque bonum, quod habemus et facimus, Dei sit a Deoque procedat, operae pretium est debitam illi gratiam rependere pro quavis nostra pia exercitatione et victoria ac pro omnibus beneficiis tam particularibus quam communibus, quae a misericordi ipsius dextera acceperimus.

Quo autem aequabiliter istud persolvatur, considerandum est, quo fine adducatur Deus ad gratias suas nobis communicandas; hac enim consideratione atque agnitione discitur, quo pacto habendae sint Deo gratiarum actiones.

Et quoniam in quolibet benefacto Dominus noster honorem suum potissimum intendit tum ad amorem suum ac servitutem nos studet attrahere; haec prius tecum volve ad hunc modum: Qua potentia, sapientia ac bonitate Deus beneficium istud mihi contulit gratiamque elargitus est!

Deinde ubi conspexeris in te ut ex te nihil esse, quod benefactum ullum mereatur, immo non aliud quam demerita et ingratitudinem, profunda humilitate Domino tuo inquies: Et quomodo dignaris, Domine, canem mortuum respicere meque tot beneficiis cumulare? Sit nomen tuum, Deus, benedictum in saecula saeculorum.

Tandem cum beneficio isto Deum a te exigere animadvertas, ut ipsum ames ipsique famuleris,

tam amabilis Domini amore inardescas ac desiderium in te exsuscites ad eius voluntatem ipsi deserviendi. Ideoque plenam tui oblationem addes, quam sequente ratione exsequeris.

Caput LVIII.

De oblatione sui.

Ut oblatio tui undecumque acceptabilis Deo sit, duabus rebus indiget. Prior est unio cum oblationibus, quas Christus Patri suo exhibuit. Altera est, quod voluntas tua a quolibet creaturarum affectu sese prorsus extricet.

Quoad *primam,* sciendum tibi est Filium Dei, cum in hac lacrimarum valle degeret, non modo seipsum suaque opera, verum etiam simul cum semetipso obtulisse nos atque opera nostra caelesti Patri, adeo ut oblationes nostrae in unione oblationum Christi ac cum fiducia in iisdem obeundae sint.

Quoad *alteram,* antequam teipsam offeras, non indiligenter explores, utrum voluntas tua affectu aliquo creaturis adhaerescente teneatur, quoniam haec, si ita se habet, ab eo primum, qualiscumque ille sit, debet exsolvi; eapropter ad Deum refugias, quo ipsius dextera omnia vincula tua dirumpente, solutam ac liberam a quacumque alia re, divinae maiestati teipsam queas offerre.

In hoc vero multa sis ac vigilans; quoniam, si Deo te obtuleris creaturis etiamnum haerentem, non tuum, sed quod alterius est, offers; tua enim nequaquam es, sed illarum creaturarum, quibus voluntas tua aliquo incumbit affectu, quod Deo

nostro summe displicet, hocque perinde est, tamquam si ipsum deridere velimus.

Indeque evenit, ut tot oblationes, quas Deo de nobis ipsi facimus, non solum vacuae et absque ullo fructu regrediantur, sed etiam in plures deinde imperfectiones et peccata dilabamur.

Possumus equidem ipsi nos offerre Deo, quamvis creaturis inhaerentes, hac tamen intentione, quod eius bonitas ab iis nos expediat, quo deinceps maiestati divinae eiusque obsequio nos omnino devovere valeamus, et hoc saepius summaque dilectione praestandum.

Oblatio igitur tua fiat absque ulla adhaesione ac proprietate voluntatis tuae et absque eo quod bona terrena aut caelestia attendas, sed solam Dei voluntatem ac providentiam, cui totam te submittere atque in perpetuum holocaustum litare debes, et cuiusvis creatae rei oblita, ita eum affari: En, Dominus et creator meus, totam me cunctaque desideria mea in manu voluntatis aeternaeque providentiae tuae; quidquid tibi videbitur placebitque in vita, in morte et post mortem, tam per tempus quam per aeternitatem de me disponas.

Si candide haec omnia praestabis (quod ita fecisse maxime advertes, cum adversa contingent), ex terrena in evangelicam ac beatissimam negotiatricem evades; tu enim Dei eris, Deusque erit tuus, quandoquidem illorum semper ipse est, qui a creaturis atque a semetipsis sese abripientes totos se addicunt immolantque divinae maiestati.

Hic ergo, filia mea, validissimum modum edoceris inimicos tuos omnes vincendi, quoniam oblatio tua si ita te Deo unit, ut tu ipsius tota sis ipseque tuus totus, quis adversarius, quae laedere vis te umquam valebit?

Et quando aliquam actionum tuarum Deo offerre volueris, puta ieiunia, orationes, patientiae actus ceteraque pia opera, cogitatum tuum prius intendas in oblationem, quam Christus Patri suo fecit ieiuniorum suorum, precum aliorumque operum; tum in eorum valore ac virtute fiduciam ponens, tua deinde offeras.

Quod si caelesti Patri offerre Christi opera pro debitis tuis in animo erit, hoc ita perficies.

Ad peccata tua mentis oculos adicies modo confuse, modo distincte, cumque dilucide conspiceris, possibile haud esse, Dei iram a te leniri, neque satis divinae iustitiae te facere ex teipsa posse, ad vitam passionemque Filii eius perfugies, aliquam actionum Christi recogitans, quando ex. gr. ieiunabat, orabat, patiebatur aut sanguinem effundebat, in quibus Dominum Iesum cernes, ad Patrem tibi placandum tuarumque iniquitatum debitum persolvendum opera sua, passionem ac sanguinem suum ipsi obtulisse in haec fere verba:

Ecce, Pater aeterne, secundum voluntatem tuam iustitiae tuae superabundanter satisfacio pro peccatis ac debitis famulae tuae N.; divinae maiestati tuae acceptum sit, ea ipsi condonare ipsamque electorum tuorum syllabo ascribere.

Ipsoque momento hanc eandem oblationem easdemque preces aeterno Patri pro te offer, eum suppliciter exorans, ut propter illas debitum quodcumque tibi remittat.

Quod exsequi poteris, non modo ab uno ad alterum mysterium, sed etiam ab uno ad alterum cuiusque mysterii actum pertransiens; et non solum simili oblationis modo uti pro te liberum erit, verum etiam pro aliis.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Caput LIX.

De devotione sensibili ac de ariditate spirituali.

Devotio sensibilis modo a natura, modo a daemone, a gratia modo proficiscitur; ex eius fructibus, unde prodierit, dispicere valebis, quoniam si ipsam nulla vitae tuae emendatio subsequitur, suspiceris necesse est, a daemone vel a natura profectam, eoque amplius, quo maiore gustu, dulcedine, affectu et quadam tui aestimatione comitabitur.

Cum igitur spiritualium deliciarum affusione mentem edulcari senseris, ne tecum ipsa disputes, a quo fonte defluxerint, nec illis inhaereas neque a tui nihili cognitione extrahi te sinas, immo maiore cum diligentia, tum odio tui, ab omni affectu, quamvis spirituali, liberum cor tuum servare contendas et Deum solum eiusque beneplacitum concupiscas; hoc enim pacto, sive a natura procedat gustus sive a daemone, in effectum gratiae immutabitur.

Ariditas quoque ab iisdem tribus causis exoriri potest.

A daemone, ut mentem tepescere faciat atque ab incoepto spiritualis vitae ad delicias et mundi voluptates deflectat.

A nobis ipsis ob culpas nostras, terrenarum rerum affectum nostramque negligentiam.

A gratia, quo nos commonefaciat, ut diligentiores simus ad expediendum nos ab omni affectu atque occupatione, quae circa Deum non sit neque ad ipsum referatur; vel ut experientia habeamus exploratum, quodcumque bonum nostrum ab ipso emanare, vel quo in posterum ipsius dona pluris pendamus humilioresque simus atque in iis

servandis cautiores; vel quo divinae maiestati intimius uniamur, absolutissima nostra abnegatione, etiam quoad spirituales delicias, ne, affectu nostro iisdem tenacius haerente, cor nostrum dividamus, quod Dominus Deus integrum sibi vult reservari; vel tandem quia ipse sibi ad bonum nostrum perplacet, nos intueri dimicantes totis viribus divinaeque gratiae usu.

Aridam igitur si te senseris, excutias accuratius cor tuum, ut videas, propter quam culparum tuarum sensibilis devotio subtracta tibi sit, tum contra eam instituas pugnam, haud equidem, ut sensibilem gratiam recuperes, verum ut abs te auferas quod Deo invisum est.

Quod si culpam istam minime repereris, pro sensibili devotione veram habeas devotionem, quae nihil aliud est quam in voluntatem divinam prompta resignatio.

Eapropter fac, ut spiritualia exercitia tua nullo pacto missa facias, sed pro viribus ea persequare, quantumlibet infructuosa atque insipida tibi videantur, praesenti animo amaritudinum calicem exhauriens, quem tibi amabilis Dei voluntas in ariditate porrigit.

At si quando ariditas tot adeoque spissis tenebris mentem offunderet, ut nescires, quo te vertere aut quam partem tenere, non ideo tamen abicias animum, sed solitaria atque in cruce firma et a quacumque terrestri consolatione remota maneas, etiamsi mundus vel creaturae illam tibi exhiberent.

Tolerantiam tuam cuivis occule praeterquam patri spirituali, cui eam deteges, haud equidem ad poenam allevandam, verum ut modum ab illo discas eam sustinendi secundum beneplacitum Dei.

Communiones, orationes, ceteraque spiritualia exercitia ne eo proposito obeas, ut e cruce descendas, sed quo vim repares ipsam crucem exaltandi ad maiorem crucifixi Domini gloriam.

Quod si ob confusionem mentis meditari atque orare, ut velles, nequires, utcumque mediteris.

Quod autem intellectu praestare nequibis, vim tibi adhibeas, ut voluntate et ore exsequare, modo teipsam modo Dominum tuum alloquens; inde enim admirandos effectus effluere conspicies, eoque pacto respirabit cor tuum viresque resumet.

Tum temporis ergo his utare sententiis: *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, et Deus meus.*

Ut quid, Domine, recessisti longe, despicis in opportunitate, in tribulatione? Non me derelinquas usquequaque.

Praeterea sacram illam doctrinam reminiscens, quam tribulationis tempore dilectae Sarae, Tobiae uxori, Deus infudit, eadem fac rei tuae serviat, Dominumque inclama.

Hoc autem pro certo habet omnis, qui te colit, quod vita eius, si in probatione fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur; et si in correptione fuerit, ad misercordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus nostris, quia post tempestatem tranquillum facis, et post lacrimationem et fletum exsultationem infundis. Sit nomen tuum, Deus Israel, benedictum in saecula[1].

Christum tuum quoque recole, qui in horto ac cruce, ut eius exaggerarentur cruciatus, a caelesti

[1] Tob 3, 21—23.

Patre in sensitiva parte derelictus fuit, crucemque una cum ipso tolerans toto animo dicas: *Fiat voluntas tua.*

Hoc enim pacto patientia atque oratio tua flammas sacrificii cordis tui ad Dei usque conspectum extollent, tuque vere devota eris. Cum vera devotio, ut dixi, sit ardens ac firma voluntatis promptitudo ad Deum sequendum constanti gressu crucemque baiulandam per quamcumque viam ad se ipse nos invitet advocetque tum velle Deum pro Deo et Deum pro Deo quandoque deserere.

Ista vero, non autem sensibili, devotione si perplures spiritualem vitam profitentes, ac potissimum feminae, profectum suum metirentur, haud profecto fallerentur a seipsis vel a daemone neque inutiliter, immo ingrati de tanto bono, quod ipsis Dominus elargitur, conquererentur, verum maiore fervore contenderent divinae maiestati servire, quae omnia disponit vel permittit ad gloriam suam nostramque utilitatem.

In hoc etiam decipiuntur mulieres, cum timore ac prudentia a peccatorum occasionibus sibi caventes, quae, cum aliquando ab horrendis, turpibus atque terrificis cogitationibus, interdum quoque a foedissimis spectris divexentur, sane quam egregie perturbantur ac deiciuntur animo; tum destitutas a Deo atque omnino ab ipso remotas se esse arbitrantur, cum persuadere sibi nequeant, in mente talibus cogitationibus adimpleta divinum Spiritum posse requiescere.

Tanto igitur metu consternatae, tristitiae eo usque indulgent, ut ferme desperent omnique pia exercitatione abiecta ad Aegyptum et mundi opera redire statuant.

Neque vero gratiam, qua Deus illas dignatur, bene intelligunt, cum ab his tentationum phantasmatibus invadi eas sinat, ut ad sui cognitionem reducantur et ad ipsum accedant, quandoquidem auxilio Dei sese indigere perspiciunt. Eapropter ingrato animo de rebus iis querimoniam habent, ob quas infinitae ipsius bonitati devinctae esse deberent.

Hoc autem fac tum temporis exsequare, quod nempe altius considerationem ineas perversae tuae proclivitatis, quam Deus ob bonum tuum vult ad gravissimum quodque malum promptam esse cognoscas teque in extremam ruinam absque illius subsidio lapsuram.

Ex hoc in spem fiduciamque assurgas, fore ut Deus tibi auxilietur, quando periculum tibi commonstrat teque propius ad se trahere percupit, quatenus eum adeas orationibus ac perfugio ad ipsum, cui ideo humillimas gratias rependas necesse est.

Et pro certo habeas, huiusmodi tentationum phantasmata foedasque cogitationes patienti potius poenae tolerantia atque apposita fuga difflari quam nimis anxia resistentia.

Caput LX.

De examine conscientiae.

In examine conscientiae tria perpende: lapsus diei, causam eorum et animum promptitudinemque ad depugnandum cum ipsis virtutesque iis oppositas adipiscendas.

Quoad lapsus, praesta, quidquid capite XXVI edocui; ubi, quid agendum, cum vulnerati cadimus, commonstravi.

Eorum causam decutere ac prosternere contendas.

Voluntatem ad hoc obeundum virtutesque comparandas confirmabis tui diffidentia, fiducia in Deum, oratione ac multiplicibus actibus, quibus vitii odium capias et contrariam virtutem concupiscas.

Victoriae et pia opera, quae perfeceris, suspecta tibi sint.

Praeterea si consilio meo stare volueris, haud multum ea considerabis ob periculum fere inevitabile incurrendi saltem in occultum quoddam inanis gloriae ac superbiae motivum.

Idcirco in manibus divinae misericordiae, quaecumque illa sint, iis omnibus depositis, curam tuam adicias maiori aliorum numero, quae efficienda supersunt.

Quod deinde attinet ad gratiarum actionem pro donis ac gratiis, quas ipsa die Dominus tibi contulerit, cuiuslibet auctorem boni ipsum recognosce eique gratias refer, quod ex tot manifestis inimicis et sane multo de occultis eripuerit, quod probas cogitationes suscitaverit in te et virtutum occasiones exhibuerit; ac tandem pro quocumque alio beneficio, quod tu ipsa ignoras.

Caput LXI.

Summa contentione perdurandum in hoc bello et ad mortem usque iugiter dimicandum.

Inter cetera, quae in hac pugna requiruntur, perseverantia est, qua passiones nostras atterere semper contendamus orportet; etenim ipsae in hac vita numquam moriuntur, immo qualibet hora ut mala herba germinant.

Eiusmodi autem pugna haec est, quae sicuti numquam nisi cum vita finitur, ita a nobis evitari nequit, et quisquis in ea confligere detrectat, ibi aut capiatur aut pereat necesse est.

Res est praeterea cum hostibus perenni odio nos insectantibus, quibuscum nulla pacis aut indutiarum condicio speranda est; crudelius enim eos occidunt, qui amiciores se illis praebere student.

Non ideo tamen absterreri debes ob eorum aut robur aut numerum; etenim nullus in hac pugna, nisi qui voluerit, superari umquam potest. Et omnis hostium nostrorum vis in manibus supremi ducis nostri posita est, pro cuius gloria decertandum est.

Ipse autem non modo non patietur nimiis in te viribus eos praevalere, immo vero pro te arma sumet, cumque omnibus adversariis tuis potentior sit, victoriam tibi concedet, modo tamen cum ipso simul tu quoque viriliter pugnans, haud equidem in te, sed in ipsius potentia ac bonitate confidas.

Et quamvis tibi Dominus palmam haud citius largiretur, ne ideo frangaris animo; siquidem plus quam certo tenere debes (id quod valde proderit ad fidenter dimicandum) fore, ut quaecumque tibi obsistentia, eaque etiam, quae a victoria remotiora videbuntur, immo vero ipsi magis adversantia, cuiusmodi tandem ea sint, in tuam utilitatem proventumque Deus vertet, dummodo fidelis ac generosae bellatricis munus tuearis.

Itaque, filia mea, caelestis antesignani tui itinera insistens, qui pro te mundum superavit morique voluit, in hanc pugnam bono et integro animo incumbe cunctorumque inimicorum tuorum omnimodae destructioni stude, quoniam si vel unico

tantum vitam condonares, is erit tibi quasi festuca in oculo et lancea in lateribus, quae tibi tam gloriosae victoriae cursum impediret.

Caput LXII.

Quomodo praeparari debeamus adversus hostes, qui nos incessent morte imminente.

Etiamsi tota vita nostra perpetua militia sit super terram, potior tamen atque insignior pugnae dies indicta est novissima hora magni e vita exitus, si quidem quicumque eo temporis puncto cadit, haud amplius erigit se.

Ut autem tum praeparata probe sis, illud curandum praecipue erit, ut isto, quod tibi conceditur, tempore pro virili parte decertes, quoniam qui in vita rite depugnat, comparati iam boni habitus causa, facile tempore mortis victoria potitur.

Ad haec perattenta consideratione mortem identidem recogita; illam enim, cum superveniet, minus extimesces, mensque tua liberior ac promptior erit ad proelium. Saeculi huius asseclae cogitationem istam declinant, ne voluptatem, quam e terrenarum rerum fruitione percipiunt, interrumpant; quibus lubenti pronoque animo innexi, molestia afficerentur, si cogitarent eas sibi relinquendas esse.

Hoc pacto inordinatus eorum affectus haudquaquam imminuitur; immo magis magisque vires capit; unde postea ab hac vita rebusque tam caris disiungi inaestimabilem angorem ipsis facessit, illisque interdum acerbiorem, qui rebus hisce diutius fruiti sunt.

Ut autem tanti momenti expeditionem melius adornes, videaris tibi quandoque sola esse absque

ullius auxilio inter mortis angustias, adque mentem revoces, quae sequuntur, quaeque eo tempore exercere te poterunt; hicque remedia, quae afferam, oppido percurres, ut illa in novissimo eo anfractu promptius adhibere valeas; quandoquidem ictus, semel tantum faciendus, bene admodum prius discatur necesse est, ne error committatur, ubi nullus est emendationi locus.

Caput LXIII.

Quattuor oppugnationum genera, quae adversarii nostri in nos decernunt morti proximos, et primum de oppugnatione fidei, et quomodo ab ipsa nos defendamus.

Potissima et periculosiora oppugnationum genera, quibus inimici nostri tempore mortis in nos solent invadere, quattuor sunt. Nempe tentatio contra fidem, desperatio, inanis gloria, variae demum illusiones transfigurationesque daemonum in angelos lucis.

Quoad primam, si inimicus falsis argumentationibus suis pertentare te incipit, ab intellectu ad voluntatem confestim refugias, inquiens: Vade retro, satana, pater mendacii, ne aures quidem tibi dare volo; abunde nempe mihi est credere, quicquid sancta Romana Ecclesia credit.

Nullum autem, quantum fieri per te poterit, locum des cogitationibus de fide, quantumlibet amicae viderentur tibi, sed eas pro suggestionibus daemonis habeas, ut rixari tecum liberum illi sit.

At vero si tempus effluxisset retrahendi mentem eamque colligendi, fortis ac firma adhuc stes, ne cuicumque rationi vel Sacrae Scripturae auctoritati,

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quam adversarius afferret, ullo pacto cedas; etenim omnes aut male adductae aut perperam expositae erunt, etiamsi probae, clarae evidentesque tibi viderentur.

Et si callidus serpens, quid Romana Ecclesia crederet, percontaretur, ne illi responsum des, verum fallaciis eius detectis, ipsumque velle conspiciens te in sermone capere, interiorem actum vivacioris fidei elicias, vel ut iracundia rumpatur, ei respondeas sanctam Romanam Ecclesiam credere veritatem. Quodsi instaret malignus: Quaenam est haec veritas? tu refer: Illud ipsum profecto, quod ipsa credit.

Ante omnia cor tuum crucifixo iugiter affixum teneas eumque ita inclama: Deus meus, creator ac servator meus, adiuva me velociter, et ne discedas a me, ne ego a veritate sanctae et catholicae tuae fidei digrediar; tibique placitum sit, in ea sicuti per gratiam tuam nata sum, ita me ad gloriam tuam mortali hac vita in eadem perfungi.

Caput LXIV.

De oppugnatione per desperationem eiusque remedio.

Aggressio altera, qua perversus daemon enititur, ut nos penitus percellat, timor est, quem nobis incutit culparum nostrarum recordatione, ut in desperationis foveam praecipites irruamus.

Ad periculum istud eluctandum certam hanc serves regulam, quod nempe peccatorum tuorum cogitationes a gratia proque salute tua proficiscuntur, cum in te humilitatem, dolorem ob Dei offensam atque in eius bonitate fiduciam excitant. Quando

autem inquietem procreant tibi teque diffidentia ac pusillanimitate fatigant, etiamsi vera ac sufficientia capita, ut tibi persuaderes, te esse damnatam, nullumque pro te salutis tempus reliquum esse, eae tibi proponere viderentur, ipsas tamen pro deceptoris fallaciis recognoscas, profundius humilies te magisque Deo confidas; namque ita adversarium suis ipsius armis devinces Dominoque tuo dabis gloriam.

Ingemiscas equidem necesse est ob divinam offensam, quandocumque illa memoriam subit, attamen cum fiducia in eius passionem, ut eadem tibi ignoscatur, exposce.

Amplius dico: Si tibi Deus idem dicere videretur, ex ovium suarum numero te nequaquam esse, non ideo tamen fiduciam in ipso ullo pacto deberes exuere, at illi humiliter dicere: Iuste equidem potes, Domine, propter peccata mea me reprobare; valentiore tamen ex capite in pietate tua sperare possum, fore ut mihi parcas.

A te proinde miserandae huius creaturae tuae salutem efflagito, damnatae quidem ob malitiam suam, at sanguinis tui pretio redemptae. Equidem volo, redemptor meus, ad gloriam tuam salvari et cum fiducia in immensam misericordiam tuam manibus tuis me totam committo. Quicquid placitum tibi fuerit, de me disponas, si quidem tu solus Dominus meus es, et quamvis etiam me occideres, adhuc tamen volo spes mea in te viva resideat.

Caput LXV.

De oppugnatione per inanem gloriam.

Tertia oppugnatio fit per inanem gloriam ac praesumptionem.

In hoc autem, ne te umquam sinas, quoquomodo id futurum sit, vel tantillum induci ad minimam complacentiam tui tuorumque operum. Verum complacentia tua in Domino, in eius misericordia ac operibus vitae passionisque ipsius omnino sit.

In oculis tuis etiam atque etiam tibi vilescas ad extremum usque spiritum Deumque solum auctorem recognosce uniuscuiusque boni, quod fecisse memineris. Ad ipsius auxilium confugias; ne illud tamen opperiare ex tuorum meritorum consideratione, quamvis in plurimis et magni momenti certaminibus vicisses. Et sancto iugiter in timore sis, sincere fatens quoscumque tuos belli apparatus incassum futuros, nisi sub umbra alarum suarum Deus tuus te colligeret, in cuius protectione unice confides.

Monita ista si teneas, inimici tui contra te praevalere nequibunt, eoque pacto viam tibi complanabis, qua laetabunda pertranseas ad caelestem Ierusalem.

Caput LXVI.

De oppugnatione per illusiones et fallaces apparitiones in mortis confinio.

Pertinax adversarius noster, qui nos divexare numquam defatigatur, si falsas apparitiones affingens et angelum lucis induens te adoriretur, adsis animo atque inconcussa maneas in cogitatione tui nihili, eique audacter inquies: Repete, infelix, tenebras tuas, haud enim visiones promereor neque ulla alia re indigeo quam Domini mei Iesu misericordia, precibus Virginis Mariae, S. Iosephi aliorumque sanctorum.

Quodsi multis fere evidentibus argumentis eae tibi viderentur e caelo fluxisse, adhuc tamen illas respuas atque abs te omni conatu tuo procul arceas nec vereare, ne resistentia haec indignitati tuae innixa Domino displiceat, quoniam si quid negotii in eo habuit, ipse profecto patefacere hoc probe sciet, indeque nullum detrimentum percipies, quoniam qui humilibus dat gratiam, iis minime ipsam aufert, plurimos licet humilitatis actus eliciant.

Haec sunt arma sollemniora, quae in novissimo illo transitu tractare contra nos adversarius solet. Deinde ut suis quemque peculiaribus propensionibus magis obnoxium comperit, eum tentat. Quapropter antequam magni conflictus hora impendeat, affabre instruamur armis strenueque dimicemus necesse est adversus passiones nostras effractiores, quaeque duriore nos premunt dominatu, ut victoria facilior reddatur eo tempore, quod omne aliud tempus nobis eripit hoc ipsum efficiendi.

Pugnabis contra eos usque ad internecionem[1].

[1] 1 Reg 15, 18.

B. HERDER, Typographus Editor Pontificius,
FRIBURGI BRISGOVIAE (GERMANIAE).

Bibliotheca ascetica mystica. Series operum selectorum quae consilio atque auctoritate Eminentissimi et Reverendissimi Domini ANTONII CARDINALIS FISCHER, Archiepiscopi Coloniensis, denuo edenda curavit AUGUSTINUS LEHMKUHL S. J.

Prodierunt tomi sequentes:

Memoriale vitae sacerdotalis. Auctore CLAUDIO ARVISENET, olim canonico et vicario generali Trecensi in Gallia. — **De sacrificio Missae.** Tractatus asceticus continens praxim attente, devote et reverenter celebrandi. Auctore IOANNE CARDINALI BONA Ord. Cist. 12° (XVI et 426 p.) *M* 3.— = *Fr* 3.75; linteo a dorso corio religatum *M* 4.— = *Fr* 5.—

Manuale vitae spiritualis continens **Ludovici Blosii** opera spiritualia selecta. 12° (XVI et 374 p.) *M* 3.— = *Fr* 3.75; linteo a dorso corio religatum *M* 4.— = *Fr* 5.—

Ven. P. Ludovici de Ponte S. J. **Meditationes de praecipuis fidei nostrae mysteriis.** De Hispanico in Latinum translatae a MELCHIORE TREVINNIO S. J., de novo in lucem datae cura AUGUSTINI LEHMKUHL S. J. Editio altera recognita. Sex partes in 12° (CCIII et 2582 p.) *M* 21.80 = *Fr* 27.30; linteo a dorso corio relig. *M* 27.80 = *Fr* 34.80

Opuscula Ascetica Selecta. Auctore IOANNIS CARDINALIS BONA O. Cist. 12° (XIV et 386 p.) *M* 3.30 = *Fr* 4.15; linteo a dorsis corio relig. *M* 4.30 = *Fr* 5.40

Iudicia aliqua de tomis iam in lucem editis.

«Le R. P. Lehmkuhl s'est laissé guider dans ce soin d'organiser une Bibliothèque ascétique, par le désir d'être utile au Clergé séculier et régulier, tant en leur choisissant des ouvrages aptes à les enflammer du zèle de leur propre sanctification et à les exciter au travail de la perfection des âmes, qu'en enrichissant ces édifiantes publications de notes et de commentaires dignes de son expérience, de son talent et de sa piété. Ces premiers ouvrages ne devront se trouver ni dans les rayons

ni sur la table de toute étude ecclésiastique, mais entre les mains de tout prêtre soucieux de ses devoirs et obligations d'état, d'autant plus que le présent volume par son format et ses types fermes et clairs est un véritable *manuel* ou *vade-mecum.*»

(Nouvelle Revue Théologique, Jette-St.Pierre.)

«Die Schriften des Geistesmannes Blosius waren stets in hohen Ehren. Man darf aber billig zweifeln, ob sie auch ebenso eifrig gelesen als gerühmt werden; die Zahl der Ausgaben wenigstens blieb bisher eine sehr geringe. Es war darum eine glückliche Idee, eine kleine Auswahl seiner Schriften, die zu den **Perlen der aszetischen Literatur** überhaupt gehören, in einer guten, handsamen Ausgabe einem weiteren Leserkreis zugänglich zu machen.» (Zeitschrift f. kath. Theologie, Innsbruck.)

«It is scarcely too much to say that the *Meditationes* written by de Ponte are the greatest commentary written on the Exercises of St. Ignatius. **No book has furnished such a full, thorough and exhaustive treatise on the life of Our Lord, and on the spiritual life in general**; and as *Le Monde* says, the diffusion of these books of meditation cannot but prove highly serviceable for the progress of the spirit of religion and piety among all classes. Father Lehmkuhl, who has re-edited these volumes, deserves unbounded praise for his work. It is to be hoped that **every priest will make use of these meditations,** and find in them, as is intended, a veritable **vade mecum.**»

(The Tablet, London.)

«Les principes ascétiques de Bona sont solides, comme l'on sait, et sa manière d'exposer la doctrine est grave, pressante, pieuse. Le religieux cistercien se retrouve derrière l'auteur. L'on sent que l'on a affaire à un praticien de la sagesse évangélique et non à un collectionneur quelconque de recettes morales. **Sans nul doute, les prêtres tireront de la lecture de Bona grande utilité pour leurs âmes.**» (Études, Paris.)

Opera quae praeterea imprimere intendimus sunt haec:

Bayma, De studio religioso;
Bona, Principia et documenta vitae christianae;
S. Franciscus Salesius, Theotimus seu De amore Dei;
S. Thomas Aquinas, De perfectione vitae spiritualis;
B. Gertrudis, Insinuationes divinae pietatis;
Ven. L. de Ponte, Dux spiritualis;
,, Preciosa sensa et caelestia lumina;
Alia selecta opera tum Ven. Lud. Blosii, tum S. Thomae Aquinatis, S. Theresiae, S. Ioannis a Cruce, aliorum.

3609 248.2
S17
Scupoli, Laurentius, OCR
AUTHOR
Theologia Mystica
TITLE